

QUID DE VITA SENTIAT LIBER SAPIENTIAE *

Doctrina de Providentia Dei, ad conceptum theoricum efformandum, primum, et ad executionem usumque vitae dein agendum, ceterarum doctrinarum vim ac virtutem maxime eo obtinet, quod problemata gravia et vitalia existentiae humanae tangat solvatque, quae sunt problemata existentiae mali in mundo, retributionis iuxta leges iustitiae et vitae futurae.

Potius quam aspectum theoricum huius doctrinae in libro Sapientiae considerare, volumus, heic, operam conferre ad aspectum *practicum* ex consecretariis, quae ipse Auctor noster deducit ex conceptu Providentiae Dei, quum in suo libro ostendere velit quid ipse sentiat de vita moraliter recteque vivenda. In Sap., enim, novam conceptionem vitae inveniemus anteriori traditioni biblicae inscitam, quia auctior est in ea doctrina Providentiae divinae. Neque tamen dicendus est unicus liber, qui hanc conceptionem proponat, quum

* NOTA BIBLIOGRAPHICA. Studium de conceptione vitae in Libro Sapientiae, quod sciam, adhuc desideratur, quum hic liber quaestionem ex professo non tractet; pauca quaedam reperies in Commentariis. Quoad, vero, conceptionem hellenicam vitae, de qua erit sermo paulo inferius, permulta opera scripta sunt, inter quae liceat commemorare: R. EUCKEN, *Die Lebensanschauung der grossen Denker*, Leipzig, 1921, ed. 16 (exstat et versio italica, Torino 1909); ELEUTHEROPOULOS, *Die Philosophie und Lebensauffassung der Griechen auf Grund d. gesellsch. Zustand*, Berlin, 1900 (editio 3 juris publici facta est sub titulo: *Die Philosophie und die social Zustände des Griechentums* Zürich 1907); E. SIGALL, *Der Wert des Lebens im Lichte d. ant. Philos.*, Czernowicz 1907; G. MODUGNO, *Il concetto della vita nei filosofi greci*, Bitonto 1907; H. GOMPERZ, *Die Lebensauffassung d. Griech. Philosophie und das Ideal d. inneren Freiheit*, Jena 1915; A. TILGHER, *La visione greca della vita*, Bilychnis 1922; W. JAEGER, *Ueber Ursprung und Kreislauf d. philos. Lebensideal* (Sitz. Akad. Wissensch.) 1928; M. HEINZE, *Die Eudamonismus in d. griech. Philos.* (Sachs. Gesell. d. Wiss.) 1883; M. MARQUARD, *Die pessim. Lebensauffassung d. Altertums*, Erlangen 1903; W. NESTLE, *Der Pessimismus u. s. Ueberwind b. d. Griech.* in *Neue Jahrb.* 1921; H. DIELS, *Der ant. Pessimismus*, Berlin 1921; W. CAPELLE, *Altgriech. Askese*, in *Neue Jahrbuch* 1910; HASTING, *Encyclop. of Religions and Ethics*, s.v. *Ascetism*; FR. BOLL, *Vita contemplativa*, (Sitz. Heidelberg Akademie) 1920 et quae in nostro studio recensebimus.

in aliquibus aspectibus et quaestionibus, se ad litteraturam apocrypticam apocrypham sui temporis adstringat.

Liber Sapientiae duas refert conceptiones vitae: negativam, primam, quae in ore impiorum auditur, quaeque ab auctore reprobat; positivam, alteram, quam auctor amplectitur; utraque conceptio ex unico principio Providentiae Dei provenit: negato a primis, affirmato ab alteris. Conceptio negativa refertur philosophice et theoretice in 2, 1-20¹ et describitur ut reapse perfecta in 5, 4-13 et 15,12; dum aspectus positivus passim in toto libro invenitur.

¹ Plures quaestiones haec pericopes excitat, quarum has memorare liceat: quaeritur primum qui sint impii de quibus sermo est in hoc capite, et dein quis sit iustus quem impii persequuntur. Quoad primam quaestionem, sunt qui affirmant eos esse assecclas determinatae scholae philosophicae hellenicae; A. DUPONT-SOMMER (*Les 'impies' du livre de la Sagesse sont-ils des épicuriens?* in *Rev. d'hist. des Religions* 111 [1935] 90-109) autumat eos esse tardos discipulos Epicuri, qui partim eius doctrinam sectantur, eam amplificantes in applicatione practica, praesertim conceptum ἀταραξίας fundatoris adulterantes; cfr. vv. 6 ss. Iuxta JOHN P. WEISENGOFF (*The Impious of Wisdom 2* in: *Catholic Biblical Quarterly* 11 [1949] 40-65) secta Sadducaeorum ibi recognoscitur.

Plures auctores vero relationem instituunt inter Sap. 2 et librum Ecclesiastis; et quidem: CHRISTIAN SCHMIDT, (*Salomo's Prediger, oder Kohelet's Lehren*, Giessen 1794,71, not.) autumat Sap. corrigere propositiones libri Kohelet, qui, male intellectus sive ex se, sive ex plurimis praeiudiciis Phariseorum, scandalizare poterat; impii ergo sunt mali exegetae Ecclesiastis; sic admittit AUGUST, in: *Die heiligen Schriften in ihres Urgestalt*, I Theil: *Die salomonischen Schriften*, Freiburg 1815,280 et 330 ss.; KELLE, in: *Prediger und Hohelied*, 23 et *Die Weisheit Salomos* 476, (opus in collectione E. KAUTZSCH, *Apocryphen*, Freiburg in Brisgau, 1900) et in HASTING D.B. IV, art. *Book of Wisdom*, 928; E. H. PLUNTRE, *Ecclesiastes, or the Preacher*, Cambridge 1881,71 ss.

Alii exegetae, vero, existimant Auctorem Sap. adversari reapse auctori Qoheleth et recenset eum inter "impios": SIEGFRIED, *Die Weisheit Salomos*, (in: KAUTZSCH, *Apocryphen*, Freib. in B. 1900,476), et in: *Prediger und Hohelied übersetzt und erklärt*, Göttingen 1888 (in: W. NOWACK, *Handkomm. z. A.T.* II, III, 2) pg. 23; A.H. MC NEILE, *An introduction to Ecclesiastes with notes and appendices*, Cambridge 1904,37-39; G. A. BARTON, *A critical and exegetical Commentary on the Book of Ecclesiastes*, Edinburgh 1908, (in: *Internat. Critical Commentary*); TH. TYLER, *Ecclesiastes*, London 1899,95.

Moderatius alii se referunt ad pravum usum practicum libri Qohelet, qui pervulgabatur temporibus Auctoris Sapientiae inter Hebraeos Alexandrinos indolis epicureae: A. KNOBEL, *Commentar über das Buch Kohelet*, Leipzig 1836,98; GRIMM, *Das Buch d. Weish.*, 390; F. DELITZSCH, *Hohelied und Kohelet*, Leipzig 1836,219 (in: C. F. KEIL und F. DELITZSCH *Biblischen Commentar über das A. T.*, IV Theil, IV Band); W. NOWACK, *Der Prediger Salomo's von* (F.

Fons et caput conceptionis paganae vitae (λογισάμενοι οὐκ ὀρθῶς: 2,1) est negatio cuiusvis finis existentiae humanae impressi ab Ente Superiore; haec prima negatio ducit dein ad negationem vitae futurae, quia absurde admitti potest existentiam terrenam, casu ortam, durare posse in altera futura et immortalis vita, quum haec ipsa sit absque finalitate. Vita enim altera postulat ex se existentiam deitatis et ideo finalitatem huius alteriusque vitae ex lege iustitiae. Impii vero autumant hominem casu ortum esse: *ex nihilo nati sumus* (αὐτοσχεδίως ἐγενήθημεν), *et post hoc erimus tamquam non fuerimus* (οὐχ ὑπάρξαντες) (2,2); heic impii ad philosophiam epicuream appellant, iuxta quam omnia corpora physica generantur ex fortuita unione atomorum, quibus inest propria figura, magnitudo et pondus. Haec proprietas, vero, in philosophia Epicuri, confert atomis quemdam motum originarium, a summo ad imum, cum velocitate originarie aequali. At deviatio casualis, qua gaudent aliqui atomi (παρέγκλισις, iuxta Epicurum, et *clinamen* iuxta Lucretium) determinat collisiones,

HITZIG in zweiter Auflage herausgegeben, Leipzig 1883, (in *Kurzgefasstes exegetisches Handbuch zum A.T.*, VIII) 192; HITZIG, autem, in sua prima editione aestimat nullam esse relationem Sap. inter et Qoh.; insuper Qoh. considerat recentiore quam Sap. (*Der Prediger Salomo's erklärt*, Leipzig 1847, 121, in *Kzqf. exeg. Hdb. z. A. T.*); A. KUENEN, *Historisch-kritisch Einleitung in die Bücher des A.T.*, III Theil, II Stück, Leipzig 1894, 193; CONDAMIN, in RB. 1990, 367s. Iuxta WEBER "il est difficile de déterminer avec précision quelle catégorie de prévaricateurs il vise" (*Le Livre de la Sagesse*, in *Pirot-Clamer, La Sainte Bible*, Paris 1946, VI, 406); recognoscit allusiones ad philosophiam Epicuri, de quibus cf. supra, sed consecraria practica absunt ab ἀταραξίας Epicuri, quae consistit in constanti harmonia desideriorum et voluptatum; iuxta ipsum ergo et HEINISCH (*Das Buch d. Weish.* Münster, 1912, 41) quibus ego accedo, "impii" sunt Judaei qui a vera Religione biblica defecerunt: denegant Providentiam, futuram vitam, spernunt legem (νόμος, 2,12) et eius bona, quale est bonum et immortale nomen (2,4); peccata gravissima committunt qualia sunt opprimere pupillum, viduam et senem, insuper circumvenire et occidere iustum, qui vita sua, eos impropere; sumus ergo in ambitu iudaico. E contra vitam mollem ducere intendunt, iuxta philosophiam Epicuri physicam, adulterantes et exaggerantes eius ponderata praecepta ethica. Quoad alteram quaestionem, quis sit, scilicet, "iustus" in Sap. 2, exegetae catholici unanimiter tenent hanc pericopen esse messianicam; sed quo sensu? Patres plurimi, sensu litterali directo, (cf. CORNELY 94); recentiores, partim sensu typico (GUTBERLET, FILLION, HEINISCH, FELDMANN), partim sensu pleniore (WEBER); "iustus" est congregatio iustorum, sensu autem pleno est Messias: hanc ultimam sententiam ego libenter amplector. Cf. praeter commentarios, F. H. REUSCH, *Gehört Weish. 2,12-20 zu den messianischen Weissagungen?*, in: *Theolog. Quart.* vol. 864, 330-346.

et dein coniunctiones, repercussiones, motusque turbineos ex quibus incessanter formantur, in spatio infinito et infinito tempore, mundi infiniti. Etiam anima humana componitur atomis materialibus, licet dicantur subtilissimi; vita hominis et animae dependet ab involucro corporis, quod eam continet; deleto hoc involucro atomi animae diffunduntur in aere: cessat anima, cessat et sensus quia sensus est ubi adest unio atomorum; ideoque mors iuxta Epicurum, non est aliquid pro nobis: θάναθος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς.

Dilapso quocumque sensu vitae humanae, ipsa apparet ex una parte exigua (ὀλίγος), insufficientis ad satisfaciendas omnes passiones, quibus homo materialista quaerit indeficientes delectationes, et ex altera doloribus referta (λυπηρός), quia delectatio materialis diu quae-sita taedio hominem afficit et non invenitur causa sufficiens ad explicanda mala exinde suborta. Ceterum moriendum est: non est enim aliqua ἴασις quae salvare possit a morte; et quidem moriendum est omnino, absque spe vitae futurae; nam οὐκ ἐγνώσθη ὁ ἀναλύσας ἐξ ἄδου (2, 1).

Ex hac conceptione originis finisque humani oritur ex una parte pessimismus ab omni spe destitutus, eo quod pars melior hominis, anima, insatiata remanet bonis materialibus et voluptatibus terrenis; traditio antiqua biblica exoptatam mercedem existimaverat, pro iis qui vitam duxerint integre iuxta monita legis naturalis et positivae, memoriam bonam superstem inter vivos, postquam e vivis sublata fuerint²: impii, vero, hac suprema consolatione destituuntur: *et nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus* (ἐν χρόνῳ), *et nemo memoriam habebit operum nostrorum* (2,4a). Vita e contra nimis brevis videtur: *tamquam vestigium umbrae* (ὡς ἕχνη νεφέλης) *et sicut nebula dissolvetur fugata* (διωχθεῖσα) *a radiis solis et a calore illius aggravata* (2,4 b). Vita apparet tamquam fugax umbra (σκιᾶς πάροδος ὁ βίος ἡμῶν)³, absque ulla spe reditus; mors sigillo imprimitur (κατεσφραγίσθη) et non est qui ad vitam redire possit.

Haec impiorum conceptio vitae, absque ulla finalitate, etiam inter paganos ipsos indolis mentisque nobilioris reprobata est; suf-

² Cf. *Ps.* 112,6; *Prov.* 10,7; *Eccli.* 37,26; 39,9.

³ Cf. illud Pindari: ἐπάμεροί· τι δέ τις; τι δ' οὔτις; σκιᾶς ὄναρ — ἄνθρωπος. ἀλλ' ὅταν αἴγλα διόσδοτος ἔλθη, — λαμπρὸν γέγγος ἀνδρῶν καὶ μέλιχος αἰῶν (*Pyth.* 8 95-97).

ficat heic celeberrimum referre locum *Tusculanarum Ciceronis*: “non enim temere nec fortuito sati et creati sumus, sed profecto fuit quaedam vis, quae generi consuleret humano nec id gigneret aut aleret, quod cum exanclavisset omnes labores, tunc incideret in mortis malum sempiternum: portum potius paratum nobis et perfugium putemus”⁴; et, sectator doctrinae stoicorum, contemplatur in mundo admirabilem finem universalem: “ut clipei causa involucrum, vagina autem gladii, sic praeter mundum caetera omnia aliorum causa esse generata ut ea fruges atque fructus, quos terra gignit, animantium causa, arandi bovem, venandi et custodiendi canem. Ipse autem homo ortus est ad mundum contemplandum et imitandum, nullo modo perfectus, sed est quaedam particula perfecti”⁵. In *Paradoxa Stoicorum*, iam introspicit quandam vitam futuram: “mors terribilis est iis quorum cum vita omnia extinguuntur, non iis quorum laus emori non potest”⁶.

Etiam iusti Veteris Testamenti aliquando lamentati sunt de tristitia vitae: Jacob in Aegypto sic effatus est: “Dies peregrinationis meae centum triginta annorum sunt, parvi et mali” (*Gen.* 47,9); Job meditatur: “Homo, natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur et conteritur et fugit velut umbra et numquam in eodem statu permanet” (*Job* 14,1-2); et iuxta Psaltem “homo similis flatui aurae, dies eius umbrae, quae transit” (*Ps.* 143 [144] 4), et ploratur Jeremias: “Quare de vulva egressus sum, ut viderem laborem et dolorem, et consumerentur in confusione dies mei?” (*Jerem.* 20,18).

De vitae quoque exiguitate traditio biblica saepius lamentata est: “Ut umbra tantum pertransit homo” (*Ps.* 38 [39] 7); “sicut umbra, quae declinat evanesco, et excutior ut locusta” (*Ps.* 108 [109] 23); “hesterni quippe sumus, et ignoramus, quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram” (*Job* 8,9).

Sed ille pessimismus ortus est in circumstantiis peculiaribus et ob defectum fulgidioris lucis de vita futura post mortem et de divina retributione: in nostro vero libro hic refertur ad aliquod

⁴ *Tuscul. Disput.* 1, 49, 118.

⁵ *De Nat. Deorum* 2, 14, 37.

⁶ *Paradoxa Stoicorum* 18.

principium philosophicum, dein probatum (9,2-3); ergo ut res certa traditur et evidens, mutuata, absque dubio a conceptione vitae hellenica⁷. Versus enim 2-4 argumentis probant et firmant hunc conceptum materialisticum vitae mutuatis a philosophia Epicuri: *Quoniam fumus flatus est* (καπνὸς ἢ πνοή) *in naribus nostris, et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum* (καὶ ὁ λόγος σπινθήρ ἐν κινήσει καρδίας ἡμῶν), *qua exstincta cinis erit* (ἀποβήσεται) *corpus nostrum. Et spiritus* (τὸ πνεῦμα) *diffundetur tamquam mollis aer* (ὡς χαῦνος ἀήρ).

⁷ Magna et gravis quaestio agitata est saeculo elapso de conceptione vitae apud graecos; quidam Auctores magna ex parte arte figurativa et plastica hellenica seducti, quae certo quodam tempore, nempe Periclis, revera spiritum serenum, praeoccupationibus expertem, optimisticum prodit, affirmarunt spiritum hellenicum praeditum esse his dotibus serenis optimisticis. Non defuerunt, tamen, qui iam tunc characterem pessimisticum graecum in lucem ponerent, non iam ex arte plastica et figurativa, quae est solum tempus transitorium manifestationis spiritus hellenici et tempus sat felix, ob victorias mirabiles in Asiam et pacem inde subsecutam, sed ex scriptoribus omnium temporum litterarum graecarum. Quaestio, hodie, resolvi videtur ad hanc thesin: spiritus hellenicus ideam concepit essentialiter pessimisticam de valore vitae, et haec idea negativa anxietatibus referta influit magnopere in animum graecum, pervadens manifestationem litterariam, philosophicam et artisticam. Quae causae fuerunt huius turbidi fluctus pessimismi? R. MONDOLFO, cui consonat etiam VOGLIANO, in opere "*L'infinito nel pensiero dei Greci*", causam invenit in quodam sensu innato et extraordinarie magno et anxietatibus referto ideae τοῦ Infiniti. Quoad existentiam in animo hellenico huius sensus extraordinarii, et item quoad eius originem innumerae et contradictoriae quaestiones exortae sunt. Quidam absolute negant spiritui graeco omnem anxietatem omnemque speculationem innatam de τῷ Infinito. Nam JARDÉ (*La formation du peuple grec*, Paris 1923, 46ss.) ex consideratione Helladis geographicae, cuius montibus deest maiestas τοῦ inaccessibleis, cuiusque mari desunt aequora infinita solitudinesque immensae, concludit exinde absentiam absolutam fontium, ex quibus idea τοῦ Infiniti exoriri potuerit. Haec tamen sententia, ut bene notat MONDOLFO ("*L'Infinito...*", 9) studet invenire characterem psychoethicum alicuius populi solummodo in explicatione deterministica ideae τοῦ Infiniti, ita ut solum in "ambiente" geographico adsint rationes et causae quarundam aptitudinum spiritualium alicuius populi. DE RIDDER et DEONNA (*L'art en Grèce*, Paris 1924, 328ss.) non tantum affirmant poesim τοῦ Infiniti et mysterii non habuisse resonantiam in anima hellenica, sed addunt notionem ipsam τοῦ Infiniti evasisse prorsus absens menti graecae et meditationes de infinite magno et de infinite parvo incomprehensibiles fore in philosopho graeco, cui τὸ Infinitem nihil aliud esset quam quid monstruosum et informe, ita ut Plato, licet affirmaverit vitam futuram animae, isti aeternitatem negaverit, perfectionem concipiens tantum in spatio determinato et tempore finito. TANNERY

Duo notanda sunt in hac conceptione anthropologica impiorum: 1) πνοή seu πνεῦμα, quae sunt essentiae omnino materiales, etsi dicantur subtilissimae: καπνός, καῦνος ἀήρ quae, morte superveniente, omnino evanescunt. Est haec conceptio hellenica, jam apud Platonem memorata, quam tamen iste respuit: “cum anima exierit e corpore, aliqui opinantur, nihil amplius existit; deletur enim et perit; instante morte omnia e corpore exit ὡσπερ πνεῦμα ἢ καπνός διασκεδασθεῖσα et nihil amplius remanet” (cf. *Phaedon*, 70a).

(*Pour l'histoire de la science hellène*, Paris 1930, 100ss.) etsi concedat conceptionem hellenicam finitam et angustam spatii, ad exemplum sphaerae finitae (“en réalité prédominante dans l'antiquité, abstraction faite des mathématiciens”), affirmat existentiam conceptus infinitatis temporis et aeternitatis mundi; primum, vero, conceptum numquam in dubio fuisse; alterum consideratum nostra recentiore conceptione, addita existentia speciei humanae, constans dogma fuisse a Platone, Aristotele et deinceps. Jam in hanc conceptionem invexerat, in suo docto et aucto libro de evolutione conceptus τοῦ Infiniti, et accuratius, τοῦ infinitesimalis apud Graecos, ERICH FRANK (*Plato und die sogennanten Pythagoreer*, Halle a. d. Salle, 1923, 46ss.), demonstrati tamen solum in campo conceptuum rationalium et exacticorum mathematicae et astronomiae. In 1934 in lucem prodiit studium R. MONDOLFO (*L'Infinito nel pensiero dei Greci*, Firenze) quod quaestionem evolvit sensu affirmativo. Potest adhuc quaestio fieri de origine huius conceptionis hellenicae de Infinito. Iuxta Mondolfo reiciendus est omnino determinismus geographicus, qui tamen quibusdam causa fuerat huius conceptionis, ob observationem circumscriptam GOMPERZ quoad spiritum Atheniensium (in *Die Griech. Denken*, Berlin 1925, II, cp. 2), et extensam toti spiritui hellenico. (Graeci — sic A. M. CROISSET, *Histoire de la Littérature Grecque*, Paris 1910, I, 14ss. — forsitan ob aeris luciditatem, quae praebet semper obiecta nitida, cogitant lucide concipiuntque accurate; τὸ obscurum, indefinibile et exinde τὸ incommensurabile, ergo, eorum mentem refugiunt et a mythologia excluduntur et a creationibus eorum phantasiae. Verior causa invenitur, iuxta R. Mondolfo in indole ipsa populi hellenici, in sua anxietate, et cupiditate τοῦ novi et τοῦ ignoti.

In hoc consentit etiam A. TILGHER (*La visione greca della vita*, Roma 1926, 28ss.) qui tamen non admittit hanc tendentiam in Infinitum esse anxiam et dolorosam et explicat omnes productiones artistico-litterarias hac cupiditate τοῦ novi et τοῦ ignoti. Etiam A. et M. CROISSET (I, 6) libenter hoc concedunt: iuxta eos enim, inexhausta cupiditas et attractio ad aenigma, quomodocumque se praebeat, aliquid characteristicum animae hellenicae evaserat. Si mythologia graeca nihil aliud est quam antiquum monumentum poetarum historicorum realium, concludendum est Ulixen per decem annos per aequora peragrantem et Oedypum coram Sphynge, typos esse personificatos indolis hellenicae. Admissa hac innata tendentia in populo graeco, consideratis vicibus historicis, quibus obviam ivit, considerato etiam valore evolutionis progressivae internae Nationis (haec est unica causa a JAEGER admissa ad explicandum hunc sensum τοῦ Infiniti in: *Humanismus und Jugendbildung*, Leipzig 1921; *Antike und Humanismus*

Anima hominis juxta Epicuri placita componitur atomis ignis, aeris, venti et etiam alicuius naturae innominatae (ἀκατονόμαστον) et vita definitur: σῶμα λεπτομερὲς, παρ' ὅλον τὸ ἄθροισμα παρεσπάρμενον (apud Diog. Laert. 10,63). Poetice, vero, Lucretius: "Primum animum dico, mentem quem saepe vocamus, — in quo consilium vitae regimemque locatum est, — esse hominis partem nihilo minus ac manus et pes atque oculus partes animantis totius extant." (*De rerum natura* 3,94-97); "Haec eadem ratio natura animi atque animae — corpoream doceat esse..." (*ibid.* 161-162); "ergo dissolvi quoque convenit omnem animae — naturam, ceu fumus, in altis aeris auras; quandoquidem gigni pariter pariterque videmus — crescere et, (ut) docui simul aevo fessa fatisci" (*ibid.* 455-458).

Leipzig 1925; *Platos Stellung Aufbau der Griech. Bildung*, Leipzig 1934), absque dubio, dato momento eius historiae debebat exoriri potenter et irresistibiliter sensus τοῦ Infiniti. Causa externa fuit commercium.

Aevum historicum nobis Graecos ostendit colonias inhabitare et colere, mercenarios, mercatores, primum sensu practico commercii actos, dein siti τοῦ ignoti et desiderio magno magis cognoscendi et inveniendi, iuxta expressionem Aristotelis Solonis in Ἀθηναίων πολιτεία XI; κατ'ἐμπορίαν ἄμα καὶ κατὰ θεωρίαν, in variis directionibus dissitisque regionibus, vestigia sectantes antiquarum legendarum, per aequora antiquibus monstris marinis phantasticis inhabitata, ultra fines legendarie extremos insuperabilesque, ut Pytheas, qui, ultra columnas Herculis pernavigans, in atlantico mari versus septemptrionem, contemplatur phaenomena extraordinaria marium septemptrionalium, quorum descriptio excitat phantasiam et incredulitatem concivium suorum (cf. Strabonem, 2,4,2). Certe hi stymuli externi ex se non creaverunt in animo graeco notionem τοῦ Infiniti, Illimitati; quia proprie eo tempore, quo audaces nautae mercatores mare transeunt ad varias regiones, haec notio sese evolvebat intra fines et processum historicum evolutionis practicae et intellectualis Graecorum, signantem, ininterrupto gradu a noto ad ignotum, interminam superationem limitum in spatio et tempore, in numero et varietate obiectorum et mentis actuum.

Quomodocumque exorta haec notio τοῦ Infiniti, certum est documenta mentis graecae prodere has anxietates et hanc notionem esse basim comunem omnium systematum philosophorum quae in Hellade effloruerint: Infinitum quod invenitur in tempore, invenitur in continuo *feri* Heracliti et in catena causarum in Stoicismo (ἐπ' ἀπειρον εἶναι τὰ αἷτια ὡς μή τε πρῶτόν τι εἶναι μητ' ἔσχατον, Alex. Aphrod., *De Fato* 25, ARNIM, *Stoic. veterum fragm.* 2,149); ut Realitas quae remanet absolute extra omnem limitem temporalem, habemus notionem Aeterni, Extra-temporis, in quo nec mensurata, iuxta Aristotelem (*Phys.* 4,12,221 b); adhuc melius habemus τὸ Praesens Immutabile quod superat omnem distinctionem temporalem iuxta Parmeniden (*Fragm.* 8), quod serius transibit in speculationem religiosam (cf. Plutarch., *De Ei apud Delph.* 20; Plotin, *Ennead.* 2,7,0; 3,7,2;

Juxta Stoicos, vero, anima est species quaedam caloris rationalis (νοερόν θερμόν); attamen apud assecclas huius philosophiae tardiores v.g. Marcum Aurelium, ob influxum Aristotelis, anima

Proclum, Theolog. Plat. 3,16; Institut. Theol. 55); si vero consideratur ut Realitas quae tempus includat, id tamen transcendens habemus communitatem permanentem φύσεως, quae subiacet toti cursui mutationum iuxta cosmologos, ut in relatione inter mundum intelligibilem aeternum et mundum sensibilem temporalem iuxta Neoplatonismum (cf. Plotin, *Ennead.* 3,7,10). Nunc vero haec notio τοῦ Infiniti si extraordinarie effecit ut philosophia graeca sese evolverit, creavit etiam quemdam statum animi generalem similem poene pessimismo; densibus nubibus ingravavit lucidissimum coelum Helladis. “Senza dubbio — scribit R. MONDOLFO in nota ad versionem italicam libri E. ZELLER: (*La filosofia dei Greci nel suo sviluppo storico*, Firenze 1943, 322) il sentimento dell’Infinito riveste fra i Greci anche la forma dell’angoscia paurosa e per tale aspetto rientra in quel torbido fiutto di pessimismo, la cui potente azione agitatrice nell’anima greca smentisce il dogma classicistico della plastica serenità di essa”.

Usquedum, enim, haec notio systematibus philosophicis theoreticis applicata fuit, ad explicandam tumultuantem et continuam mutationem omnium rerum, quodam autem immutabili manente, origine omnium mutabilium, haec notio ac sensus potuit quidem generare quoddam gaudium aestheticum solutionis problematis τοῦ Entis; at quum haec notio in campo religionis pervenit, tunc homo graecus intellexit totum pondus immane, quod eius solutio prae se ferebat: si τὸ Infinitem originans rerum naturam, si Aeternus non occidens, Immutabile numquam fluens est Deus, tunc nos subiecti sumus, utpote finiti, mortales et mutabiles, huic Infinito, sumus instrumenta inertia in manu potenti sua, ludis puerorum coram sua Voluntate infinita: homo, prima vice, licet sensu gaudioso τοῦ Sublimis pervasus, totam parvitatem suam sentiit, onustus tam pondere immani. Proprie ex hac idea τοῦ Infiniti generatur terribilis conceptio Fati quae est una ex peculiaribus conceptionibus spiritus hellenici.

Novissime hanc conceptionem pessimisticam hellenicam negat C. MAZZANTINI, *La filosofia nel Filosofare umano*, Torino-Roma, 1949, 26: “La visione ellenica del mondo e della vita” (l’Ellenismo) non fu esclusivamente idillica e ottimistica, nè esclusivamente tragica e pessimistica. Visse intensamente e consapevolmente, nella pienezza della sua umanità, ambedue gli aspetti della realtà”. Hoc verum esse admitto; quod autem certum est, visionem pessimisticam esse magis divulgatam inter scriptores et poetas hellenicos, qui sunt pars melior spiritus hellenici. Non sufficit ex uno loco Homeri (*Odys.* V, 34) et Aeschylus (*Agam.* 750) deducere fuisse divulgatam doctrinam de libero arbitrio hominis, quum proferre possumus centenos locos qui eam negant; sunt, sin minus, contradictiones ipsius spiritus humani se opponit conatur doctrinae traditionali: certe quoad hanc quaestionem sumimus non ideas populi qui omni tempore vixit gaudento (cf. in Graecia Thucydis 2, 38) sed spirituum meliorum. — Bibliographia de hoc argumento est prorsus immensa; cf. tamen: D. AMAN, *Fatalisme et liberté dans l’antiquité grecque*, Louvain-Paris, 1945; L. CREDARO, *Il problema della libertà del volere nella filosofia dei Greci*, Rendic. Ist. Lombar. serie II, vol. 25.

concipitur aliquid immateriale, dum adhuc in Posidonio anima duobus principiis constat: rationali et irrationali et a Seneca substantia animae consanguinea, si ita possumus scribere, dicitur cum substantia astrali.

Notatur deinde 2) λόγος, ratio, a πνοή, πνεῦμα distincta, natura materiali ignis constans, et accuratius scintilla ignea, quae motum cordis subsequitur; et cessante motu cordis, illa quoque evanescit. Haec distinctio inter πνοή, πνεῦμα, λόγος invenitur etiam in Lucretio, qui distinguit “animum” et “animam”: “hasce secundum res animi natura videtur — atque animae claranda meis jam versibus esse” (*De rer. nat.*, 3,35-36); quod propositum adimplet vv. 136-144; *animus* Lucretii, autem, respondet ad τὸ λογικόν Epicuri, id est ad partem rationalem, *anima*, vero, ad τὸ ἄλογον, ad partem irrationalem; in vv. 396-402 ejusdem libri *animus* dicitur a Lucretio in coniunctione perstringere animam et corpus: “Et magis est animus vitae claustra coercens — et dominantior ad vitam quam vis animae. — Nam sine mente animoque nequit residere per artus — temporis exiguam partem pars ulla animae — sed comes insequitur facile et discedit in auras — et gelidos artus in leti frigore linquit. — At manet in vita cui mens animusque remansit”. *Animus*, ergo, Lucretii, et τὸ λογικόν Epicuri respondent τῷ λόγῳ impiorum Sapientiae, quia in v. 3 λόγος exhibetur tamquam vis quae coniunctionem inter corpus (σῶμα) et πνοή ac πνεῦμα servet, vitamque generet; λόγος extincto, corpus in cinerem resolvitur et πνεῦμα diffunditur tamquam mollis vel tenuis aer: καῦνος ἀήρ, sicut *anima* Lucretii: “Tenuis enim quaedam moribundos deserit aura — mixta vapore, vapor porro trahit aera secum” (*De rer. nat.*, 3,231 ss); et infra: “Nunc igitur quoniam quassatis undique vasis — diffluere umorem et laticem discedere cernis — et nebula ac fumus quoniam discedit in auras, — crede animam quoque diffundi multo perire — ocius et citius dissolvi (in) corpora prima — cum semel ex hominis membris ablata recessit” (3,434-439). Etiam πνή fumus (καπνός) dicitur a poeta: (cfr 3,436) “Nebula ac fumus”, 456: “Ceum fumus”, 583: “Uti fumus diffusa animae vis”.

Compertum est, ergo, principium philosophicum enuntiatum in vv. 2-3 a doctrina Epicuri mutuatum esse; stichus autem 2d: ὁ λόγος σπινθήρ ἐν κινήσει καρδίας ἡμῶν non invenitur tamquam definitio in

textibus epicureis; testimonia, tamen, habemus multorum philosophorum affirmantium animam ejusdem naturae esse ac ignis, πῦρ. Conceptus hic jam exhibetur apud philosophos atomistas, ut aiunt, qui magna ex parte fontes fuerunt doctrinae Epicuri⁸; in Heraclito⁹, apud Stoicos¹⁰ et Epicureos¹¹. Conceptus, vero, de λόγος ut σπινθήρ cordis latenter deduci potest ex philosophia stoica et epicurea; stoici enim animam concipiunt quodam monismo psycophysico: νοερόν θερμόν; distinguunt in ea partes octo: egemonicum (τὸ ἡγεμονικόν), quinque sensus, facultatem loquendi et facultatem generandi; τὸ ἡγεμονικόν, quae est pars nobilior, quaeque cum Deo communicat, residet in corde ut λόγος ἐνδιάθετος, ex quo erumpit in verbum, seu rationem expressam ore: λόγος προφορικός. Etiam juxta Epicurum pars nobilior animae (τὸ λογικόν) residet in pectore, in corde, dum altera pars, inferior τὸ ἄλογον, per totum corpus diffunditur. Cor ergo magnam partem habet in vita psychica: est enim, organum, motor huius vitae; mens et ratio (ὁ λόγος) erumpit ex ejus palpitatione, ut scintilla erumpit ex frictione petrae silicis et ferri.

Sumus ergo in philosophia materialista, quae generat, ut vidimus, absolutum pessimismum, sed homo conceptione vitae spiritualis prorsus destitutus, ambit alias voluptates, quae eum delectare possint in hac unica terrestri vita: voluptates corporis. Praeter ergo pessimismum, haec vitae conceptio generat hedonismum effrenatum: *Venite ergo* (δεῦτε οὖν) *et fruamur bonis quae sunt* (τῶν ὄντων ἀγαθῶν) *et utamur creatura tamquam in iuventute celeriter* (σπουδαίως = studiose, 2,6). Haec bona dicuntur ὄντα, id est: non

⁸ — Aristoteles enim refert de Democrito: ὅθεν Δημόκριτος μὲν πῦρ τι καὶ θερμόν φησιν αὐτὴν [ψυχὴν] εἶναι: ἀπείρων γὰρ ὄντων σχημάτων καὶ ἀτόμων τὰ σφαιροειδῆ πῦρ καὶ ψυχὴν λέγει... ὁμοίως δὲ καὶ Λεύκιππος. (*De Anima*, 1,2,4036 29).

⁹ — In *De Anima* 1,2,405a 25, enim scribit: καὶ Ἡράκλειτος δὲ τὴν ἀρχὴν εἶναι φησι ψυχὴν, εἴπερ τὴν ἀναδυμίαν, ἐξ ἧς τὰλλα συνίσταται.

¹⁰ Cfr. Nemesium, *De Natura Hominis* 2: Οἱ μὲν γὰρ Στωϊκοὶ πνεῦμα λέγουσιν αὐτὴν [τὴν ψυχὴν] ἐνθερμόν καὶ διάπυρον (V. ARNIM, 2,217,8-9); “Stoici animam ignem esse dicunt” (*Commenta Lucani*, Lib. IX, 7 p.290Us.; V. ARNIM, 2,217,19); Aëtium: οἱ Στωϊκοὶ πνεῦμα νοερόν θερμόν [τὴν ψυχὴν] (*Plac.* IV,3,3; V. ARNIM, 2,217,31); Alex. Aphrodisium: ἔτι εἰ ἡ ψυχὴ σῶμα, ἢ πῦρ ἢ πνεῦμα λεπτομερές ἐστι διὰ παντὸς διήκον τοῦ ἐμφύχου σώματος (*De Anima* 115,6; V. ARNIM, 2,218,25-26); cf. etiam Galenum, *περὶ ψυχῆς ἰθῶν* 1,346; etc.

¹¹ Cf. Scholium in *Epistula ad Herodotum*, 66:... ἐξ ἀτόμων αὐτὴν συγκεῖσθαι λειοτάτων, πολλῶ τινι διαφεουσῶν τῶν τοῦ πυρός...

fictitia, imaginaria, sed realia; imaginaria sunt enim bona spiritua-
lia, quae sunt virtus spes alterius vitae ¹².

Quae vero sunt ὄντα ἀγαθά? Voluptates corporis: *Vino pretioso* (οἴνου πολυτελοῦς) *et unguentis nos impleamus, et non praetereat nos flos temporis; coronemus nos rosis* (ῥόδων κάλυξι) *antequam marcescant; Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exsors sit luxuriae nostrae* (τῆς ἡμετέρας ἀγερωχίας): *ubique relinquamus signa laetitiae, quoniam haec est pars nostra et haec est sors.* Praedicatur hic, licet sub terminis symbolicis vini, florum, pratorum, rosarum ¹³, absolutus et crassus hedonismus, qualis revera Alexandriae temporibus nostri Auctoris usus erat.

¹² Cfr. expressionem similem impiorum in *Is.* 22, 13; *I Cor.* 15, 32.

¹³ Quoad expressiones has symbolicas, plurimas invenies in omnibus litteraturis; en aliqua exempla: in quadam veteri poesi aegyptiorum, (1300 c. ante aevum christianum) sic canitur: "Sequere cor tuum et diutius quam vis! pone myrrham in caput tuum et indue te lino delicato; unge te unguentibus optimis diis sepositis! auge tuum bonum et ne quiescere facias tuum cor; sequere cor tuum et desiderium tuum!" etc. (cf. hoc carmen in H. GRESSMANN, *Altorientalische Texte zum A. T.*, Berlin-Leipzig 1926s, I, 29; C.-F. JEAN, *Le milieu biblique avant J. C.*, Paris 1940, II, 157-158; A. JEREMIAS, *Das A. T. im Lichte des alten Orients*, Leipzig, 1916 589). Inter Graecos sufficiat commemorare: Mimnerum: ἡμεῖς δ' οἷα τε φύλλα φύει πολυάνθεμος ὦρη — ἔαρος, ὅτι ἀΐφ' αὐγῆς' ἀΐζεται ἡελίου — τοῖς' ἕκλοι πήχυιον ἐπὶ χρόνον ἀνθεσιν ἤβης — τερπόμεθα, πρὸς θεῶν εἰδότες οὔτε κακόν — οὔτ' ἀγαθόν; **Anacreonten**: ἔρωτα γὰρ τὸν ἀβρόν — μέλομαι βρύοντας μίτραις πολυάνθεμοισ' αἰεῖδεν. ὅδε γὰρ θεῶν δυναστής, ὅδε καὶ βροτούς δαμάζει. Inter Romanos: **Horatium**: "Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto — aut flore terrae quem ferunt solutae" (*Od.* I, 4,9-10); **Lucretium**: "Hoc etiam faciunt ubi discubuere tenentque — pocula saepe homines et inumbrant ora coronis" (*De Rer. Natura*, 3, 912-913). Qui putant "impios" in hoc capite descriptos esse epicuraeos, in his versibus inveniunt argumentum; revera, autem, hic modus vivendi communis est pluribus tendentiis philosophicis et conceptionibus vitae extra-philosophicis et ex altera parte, si haec conceptio vitae effrenate usu exercita tribuitur doctrinae Epicuri, est istius solummodo depravatio: in vitium enim, excidit libertas Epicuri.

Tota philosophia Epicuri ad id unum tendit: liberationem hominis, ut suum nomen ipsum sonat: ἐπίκουρος, *adiutor, liberator*, et quidem liberationem ab omnibus concursionibus Realitatis universalis quae hominem in servitutem redigunt et ad praestandum ei etiam in hac terrestri unica vita bonum felicitatemque constantem. Cor humanum timore afficitur tribus falsis opinionibus: de diis, de fato et de morte. Epicurus liberat hominem a timore deorum theoria sua physica de atomis: ex atomismo democriteo deducit nullam esse in mundo actionem deorum, nullum eorum gubernium; admittit libertatem humanam quia atomi facultatem habent deviandi ex linea perpendiculari: κλινόμεν ergo destruit timorem

At hedonismum sequitur ex consuetudine crudelitas, quippe qui corda indurans et egoismum augens, juxta illud proverbiorum: *Viscera autem impiorum crudelia* (12, 10). Unum ex maximis praeceptis legislationis israeliticae erat certe defensio et tuitio pauperum, viduarum et pupillorum; confer enim *Is.* 10, 2; *Jerem.* 22, 3; *Ezech.* 18, 11; 22, 29 etc., in quibus prophetis hoc praeceptum erat fundamentum eorum praedicationis. Impii, autem, Sapientiae sibi constituunt νόμον vitae et formam suae παιδείας vim et fortitudinem (ἰσχὺς), id est, legem fortioris; quod ergo est debile, inutile

fati; quoad mortem, nullus timor adesse potest quia anima humana, quum sit materialis, post mortem evanescit in atomos priores et primos et haec dissolutio evenit quin aliquis dolor sentiatur. Variis his timoribus demonstratis Epicurus ostendit viam ad felicitatem: felicitas est in cognitione, quia si felicitas non est cognita non potest subiectum tangere; sed cognitio non fit nisi per sensationem vel perceptionem sensuum: ex corpore enim externo vel ex obiecto exeunt subtilissimae particulae quae penetrant in animam et per animam ad organum suum vel ad organum sensuum; tunc in anima producitur motus aliquis qui est sensus; si sensus est suavis ac gratus, tunc voluptatem (ἡδονή), si vero sunt injucundi et molesti dolorem (πόνος) sentimus. Tota felicitas consistit in voluptate, et infelicitas in dolore; voluptas et dolor sunt unicum criterium ut homo dijudicare possit inter bonum et malum. At in quo consistit voluptas? Certe in sensu quia provenit a sensu et percipitur ab anima materiali et est principium et finis felicitatis humanae (cf. Diog. Laert. 10, 34 et *Epist. ad menec.* 129).

Ut naturam voluptatis noscere possimus considerare oportet voluptatem relatam ad res vitae necessarias: hae necessitates sunt dolores et quoadusque nos satisfacimus eas, quaerimus voluptatem in motu, movemur ad plenam voluptatem assequendam, quae est voluptas in motu: ἡ ἐν κινήσει ἡδονή. At haec voluptas est mixta cum dolore, quum sit transiens et locum cedat alio motui injucundo; vera felicitas et voluptas est quum nullis rebus agemus, in absentia cuiusvis doloris (ἀπονία), in absoluta imperturbabilitate (ἀταραξία); id est: felicitas est voluptas in quiete (ἡ καταστηματικὴ ἡδονή). Haec de quantitate; quoad vero qualitatem Epicurus distinguit voluptates corporis et voluptates animae: voluptates corporis sunt primariae et quasi fundamentum felicitatis; attamen non consistunt in illimitatam satisfactionem omnium necessitatum physicarum, sed in quodam felici aequilibrio omnium necessitudinum corporearum, ex quo sanitas evadat humana. Ad hoc requiritur virtus prudentiae (φρόνησις), quae nos aptos reddat aestimationis comparativae (συμμέτρησις) voluptatum et dolorum, memoria vitae anteaetiae et consecutionum. Haec φρόνησις, dein, nos inclinatur ad praefereudas voluptates animae, quae magis sunt aestimandae quam voluptates corporis.

Maxime autem ducitur ab Epicuro amicitia, quae celebrem hanc scholam fecit, moderatio voluptatum, temperentia, vita dulcis, (*dulciter vivas* erat eius augurium), vita abscondita (λάθε βιώσας! *fragm.* 106; BIGNOME 189), vita intima ruri acta, non sine aliqua tristitia (cf. Senecam, *Ad Gal. De Vita Beata* 12, 1;

existimatur ad vitam vivendam¹⁴. Vi ergo dominantur ut tyramni (καταδυναστεύσωμεν) in pauperes justos, sensu biblico וְנַי vel וְנַי intellectos id est, oppressos iuridice et socialiter, cum fundamento in paupertate oeconomica, ut pluries in Psalmis¹⁵; non parcent nec viduis quidem nec reverentur senes. Bellum, autem, praecipuum et continuum agunt adversum justum, cuius vita est gravis obiurgatio παιδείας impiorum ob suam fidem religiosam in Deo, cuius se aestimat filium. Spernuntur a justo ut κίβδηλον, id est, ut

12,4; Plutarchum, *Contra Epicur. Beat.* 9ssqq. 1092e, 1093-94, 1097f, 1098e; celebris est contemptio Epicuri artium: *fragm.* 227 USENER; scientiarum, *fragm.* 229a, 348; activitatum politicarum, *fragm.* 552ss.). Doctrina ergo Epicuri non meretur famam malam, quae posterioribus saeculis invecta est: si obicias voluptatem esse corpoream, hoc respondet notioni quam Epicurus sibi effinxit de gnoseologia, quae est omnino materialis, sicut mos per ea ferebat tempora; sed voluptates sunt temperandae per φρόνησιν et aestimandae plures quam voluptates animae. Censeo practice doctrinas Epicuream et Stoicam poene convenire et hoc maxime in Marco Aureolio et Seneca, qui ceterum magni duxerunt philosophiam epicuream: Stoici ad felicitatem assequendam magis insistunt in abstinentia rerum sensibilium, Epicurus in temperantia, sed uterque inde concludunt ad libertatem personalem, ad tranquillitatem spiritus, quae exurgit — ait Epicurus — ex dominio rationis sobriae (νήφων λογισμός) in passiones materiales. Impii ergo in nostro loco longius abeunt ac Epicurus quoad temperantiam bonorum materialium et praesertim quoad delicta in proximum, quae ipsi perpetrant et a quibus Epicurus omnino abhorrebat. — De visione vitae apud Epicurum cfr. E. BIGNONE, *Il concetto della vita intima nella filosofia di Epicuro*, in Atene e Roma, 11 (1908) 305-326; R. EUCKEN, *La visione della vita nei grandi pensatori* (versio italica, Torino 1909); G. MODUGNO, *Il concetto della vita nei filosofi greci*, Bitonto, 1901; G. CAPONE-BRAGA, *Aspetti pessimistici della dottrina di Epicuro*, in *Sophia* (1943) 273-281; (1946) 21-43; R. MONDOLFO, *Il superamento dell'egoismo e la coscienza morale in Epicuro*, in *Atti della Regia Accademia di scienze di Bologna*, 1929; Eundem, *Il superamento dell'utilitarismo e la coscienza morale nella dottrina epicurea* in: *Problemi del pensiero antico*, Bologna, 1936, 187-203. Ampliorem bibliographiam reperies in: K. PRACHTER; *Philosophie des Altertums*, Berlin, 1926, quem sequitur C. MAZZANTINI, *La filosofia nel filosofare umano. Storia del pensiero antico*, Torino-Roma, 1949, 247-251; opera, autem, et fragmenta apud H. USENER, *Epicurea*, Leipzig, 1887 et E. BIGNONE, *Epicuro, opere, frammenti, testimonianze sulla sua vita*, tradotti con introduzione e commento, Bari, 1920; hoc opus continet etiam fragmenta herculanensia, quae desiderantur in USENER, ex. gr. tractatus περὶ φύσεως.

¹⁴ “Tout ce qui est faible se montre inutile, et donc n'a pas droit à l'existence. C'est la loi du plus fort, qui a été de tout temps à la base de certaines conceptions païennes de la vie” (WEBER, *Le livre de la sagesse*, 412).

¹⁵ Prohibet mox meum studium *De «pauperibus» in Psalmis.*

nummi adulterini¹⁶ qui nihili valent ad emendas res necessarias: flocci ergo aestimantur; insuper ut res immundae evitantur, quod non fiebat absque contumelia et livore impiorum. Haec agendi ratio iusti in impios odium istorum sibi parat, quod primum erumpit in ὕβρις, in insolentiam, arrogantiam et superbiam¹⁷, dein in βάσανον, tormentum lege iudiciaria impositum,¹⁸ et demum completur morte turpissima (ἀσχήμονι) iusti.

Talis est ergo conceptio vitae impiorum quae ab Auctore sacro prorsus reprobatur: negatio existentiae Dei, spiritualitatis animae humanae, finalitatis vitae terrestri et existentiae vitae futurae: consequens hedonismus in vita practica et pessimismus in conceptione theorica vitae et demum contemptus omnium vel maximarum legum moralium et scelerum commissio. In 5,4-15 noster Auctor quodam artificio litterario usus impios inducit de vita eorum ante-acta loquentes in altera vita, coram Deo iudice; tunc possunt iudicium iustum proferre et de inanitate spirituali eorum vitae et de sapienti vita iustorum: *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum et in similitudinem improperii: nos insensati!* (οἱ ἄφρονες). *Vitam illorum aestimabamus insaniam et finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est* (3-5). Vita iustorum aestimabatur insania, μανίαν¹⁹, habebatur in derisum (εἰς γέλωτα) et in παραβολὴν ὀνειδισμοῦ idest,

¹⁶ Cfr. Theogn. 119; Eurip., *Med.* 516; sensu translato: Platon., *Resp.*, 509: λόγος; *Dem.* 508; Plutarch, *Moral.*, 823: κ. κακόν; Herodot. 1,66,75; 5,91: χρησμός μαντηῖον: oraculum fallax, ambiguum.

¹⁷ Sensus huius verbi celebris est in doctrina antiqua hellenica, quoad peccatum et poenam; ὕβρις definitur sic ab Aristotele: ἔστιν ὕβρις τὸ πράττειν καὶ λέγειν ἐφ' οἷς αἰσχύνῃ ἐστὶ τῷ πάσχοντι (*Rheth.* 2,2). Quoad conceptum huius vocis cfr. C. DEL GRANDE, *L'Hybris, delitto e castigo nella espressione artistica da Omero a Cleante*, Napoli 1936.

¹⁸ "Le mot désigne la torture judiciaire, la question, qu'on applique longtemps aux accusés dans l'instruction de leur procès; on pourra alors éprouver sa résignation" (WEBER, 413), cfr. Antiphontem 1,12; Isocratem 8,17; Erondam 2,88: ἐς βάσανον αἰτεῖν; Demosthenen 1254; in S. Scriptura cfr. *Is.* 8,12; *Luc.* 16,23; Gehenna dicitur ergo ὁ τόπος τῆς βασάνου, *Luc.* 16,28.

¹⁹ Cfr. ad hunc sensum Herodotum 6,75,112 et pluries in Hyppocrate et Pindaro; μανίαν passionibus agitatum cfr. in Plat. *Conv.* 218; *Phaedro* 256; 265; μανίαι dicuntur ab Aeschulo φρενοπλήγες (*Prom.* 878-879). Alio senso μανία est insania divina seu insania immissa a deo: furor propheticus, inspiratio divina: cfr. ex. gr. Platon, *Phaedr.* 245.

sicut in שמע hebraico, in satyram mordacem, in fabulam irrisoriam, et finis iustorum ἄτιμος, quia deerat impiis spes alterius vitae; iustus vero hac spe fultus hanc terrestrem vitam despexit ut alteram arriperet²⁰.

Summo cum dolore nunc se erravisse animaverterunt: *ergo erravimus a via veritatis* (ἀπὸ ὁδοῦ ἀληθείας, a via seu vita morali recta et vera) et *iustitiae lumen* (τὸ τῆς δικαιοσύνης φῶς, lumen iustitiae moralis, fuerunt ergo excaecati, sed propria culpa, quia νόμος quem ipsi spreverunt, cfr. 1,12 erat ab eis cognitus, quum visus ipsis sit in lege positiva, quae est lumen: τὸ ἀφθαρτον νόμου φῶς; ἀορασία ergo eorum est voluntaria et iam poena eis immissa cfr. 19,17 ἐπλήγησαν δ'εἰ καὶ ἀορασία)²¹, *non luxit nobis, et sol intelligentiae* (καὶ ὁ ἥλιος) *non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis et ambulavimus vias difficiles* (ἐρήμους ἀβάτους, locos solitarios qui impediunt rectum cursum atque adeo quodcumque iter²²,) *viam autem Domini ignoravimus* (οὐκ ἐπέγνωμεν).

Non ergo ignoraverunt, sed non agnoverunt, non recognoverunt hanc viam, quum ipsi viderint eam exercitam a iustis, insuper, iuxta sensum hebraici עת, non amplexati sunt hanc agendi rationem: sumus ergo semper in campo libertatis. *Quid nobis profuit superbia?* (ἡ ὑπερηφάνια: est vitium eius, "qui aliis superior apparere vult, qui alios prae se contemnit et subinde in eos est arrogans et insolens" superbus²³ (= מצים *irrisores* potissimum in re religiosa et in

²⁰ "Jadis c'est la vie du juste qu'ils regardaient comme une folie, et sa mort comme sans honneur, comme infâme, ἄτιμον: pour un matérialiste en effet une vie de sacrifices, de renoncement au plaisir, et d'efforts vertueux est un pur non-sens; la mort dans l'acceptation de la souffrance, dans l'ignominie d'une condamnation est une infâmie (cf. 11,20)".

²¹ Adest etiam in theologia hellenica similis conceptus coecitatis a deo immissae in poenam pro delictis hominum, et, accuratius, ut homo in peiora delicta ruat et nesciat statum suum, ut deus iam punire possit: est ἄτη quae ὕβριν humanam consequitur et quae νέμεσιν θεῶν invocat et haec autem τίσιν, seu δίκην, idest ordinem divino-humanum in pristinum restauratum; cfr. Hom., *Iliad.* 19,88; Ζεὺς... Ἑρινύς... μοι φρεσὶν ἔμβαλον ἄγριον ἄτην; *Odiss.* 4,261: ἄτην... δῶκε, etc; adest etiam deitas Ate quae homines excaecet: *Iliad.* 19,91: Διὸς θυγάτηρ Ἄτη ἢ πάντας ἄτται; Aeschyl., *Agam.* 1230: δίκην Ἄτης λαθραίου; Plat., *Conv.* 195: "Ὁμηρος Ἄτην θεὸν φησὶν εἶναι.

²² Pro hoc sensu cfr. Lucianum, *Ocyrus* 36.

²³ ZORELL, *Lexicon graecum N.T.*, Parisiis 1931, sub voce ὑπερήφανος; περηφάνια sic definitur a Theophrasto: ἔστι δὲ ὑπερ. καταφρόνησις τις πλὴν αὐτοῦ τῶν ἄλλων; sequitur descriptio hominis eiusdem; in praxi conceptus ὑπερηφανίας idem est ac conceptus ὕβρεως, qua homo extollitur supra conditionem humanam ut Deus fiat et constituit primum gradum coecitatis in peccato et a Deo permittitur ut homo postea puniatur. Pulcherrimum cfr. illud Theognidis: ὕβριν. Κύρε, θεὸς πρῶτον κακῶ ὤπασεν ἀνδρὶ οὐ μέλλει χωρὴν μηδεμίαν θέμεναι (*Eleg.* 1,151-152).

ipsum Deum insolentes)²⁴ *aut divitiarum jactantia* (καὶ τί πλοῦτος μετὰ ἀλαζονίας) *quid contulit nobis?* Ἀλαζονία est “superbia in vivendi agendique ratione, maxime ea qua quis pecunia fortunisque confidit ac divina spernit” et ἀλαζών est “ostentator, venditator, gloriosus, nempe qui insolentius se suaque loquens iactare solet et exaggerare; haud improb. etiam superbiens in vivendi agendique ratione”²⁵. Haec, autem, ἀλαζονία oritur primo et augetur possessione magna divitiarum: πλοῦτος²⁶. Sequitur exinde consideratio de fugacitate vitae eiusque bonorum temporalium: “transierunt omnia illa tamquam umbra et tamquam nuntius percurrens; et tamquam navis quae pertransit fluctuantem aquam cuius, cum praeterierit, non est vestigium invenire neque semitam carinae illius in fluctibus; aut tamquam avis quae transvolat in aere, cuius nullum invenitur argumentum itineris, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum

²⁴ Cfr. etiam apud Graecos Platon., *resp.* 391.

²⁵ ZORELL, *Lexicon graecum N.T.*, sub voce; ἀλαζών in N.T. (*Rom.* 1,30; *2 Tim.* 3,2) semper coniungitur cum ὑπερήφανος, ut in nostro loco substantiva.

²⁶ Ut iam est notum etiam in theologia Graecorum divitiae plurimae, seu fortuna temporalis (ὄλβος) est causa peccati hominum eorumque ruinae: ὄλβος enim generat κόρος, saturitatem, satietatem bonorum temporalium; κόρος generat ὕβρις, quae ἄτη, quae νέμεσις (iram deorum) quae τίσις (poenam divinam), quae δίκη (iustitiam seu ordinem pristinum, quem homo ὕβρει sua fregerat). Haec genealogia thematum primum in Solone invenitur ad malum in mundo explicandum, quod involvit etiam insontes, unde mysterium doloris immeriti quod prius terrebat poetas, maxime Theogniden et quod invenit in Aeschylo solutionem deo dignam et iustitiae: nemo punitur nisi peccavit; at dolore fit scientia, experientia; laborando discitur: πάθει μάθος; quoad priorem conceptionem Solonis cfr. *Agam.* 381-386; 393; 764-771; quoad novam: *Agam.* 177; 249-250 et maxime in Prometheo, in quo exemplum doloris praebetur a Deo (*Prometheo*): θεὸς πάσχος: 119; cfr. etiam: 110-112; 235-237; 267; 469-471; 507-508; 543-546, qui quidem patitur διὰ τὴν λίαν φιλότητα βροτῶν (v. 123) et ob φιλανθρωπίαν (v. 28). Conceptio Aeschylis admittitur etiam a Sophocle ex cuius tragoediis eruitur mira schola doloris et Providentia Divina erga homines; in fine enim harum tragoediarum adest apotheosis personarum quas dolor tetigit et hoc ex interventu Deitatis: ὅταν διδάσκω μὴ θρασύνεσθαι κακοῖς, ait Philoctetes (*Philoct.* 1387) et insuper: ἐγὼ δ'ἀνάγκη προὔμανπον στέργειν κακά (v. 538) et Oedypus *ad Antigone*: στέργειν γὰρ αἱ πάθει μεχρὸν χρόνος ξυνῶν — μακρὸς διδάσκει καὶ τὸ γενναῖον τρίτον (*Oed. Col.* 7-8) et ad Tiresiam sibi applicat proverbium: παθῶν ἔγνωσ' ἄν. Providentia Dei elucet in apotheosi finali, ex. g. Herculis, *in Trach.* (1268-9); Philoctetis (cf. 1492: ab Heracle vocatur ἐκ τῶν πόνων τῶνδ'εὐκλεῆ θεέσθαι βίον; Oedipus Coloni (cf. 1565-66: πολλῶν γὰρ ἄν καὶ μάταν — πημάτων ἰκνουμένων — πάλιν σε δαίμων δίκαιός αὔξα): fit semideus et custos et causa successus Athenarum per quoddam secretum Regibus tradendum.

et scindens per vim itineris aerem: commotis alis transvolavit, et post hoc nullum signum invenitur itineris illius; aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aer continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius: sic et nos nati continuo desivimus esse, et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus”.

Sequitur demum (v. 15; v. enim 14 est glossa Vulgatae ab aliquo lectore in margine exarata et postea in textum recepta) consideratio Auctoris sacri de eodem argumento vanitatis vitae impiorum comparatae cum aliis similitudinibus: “quoniam spes impii tamquam lanugo est, quae a vento tollitur, et tamquam spuma gracilis, quae a procellis dispergitur, et tamquam fumus qui a vento diffusus est, et tamquam memoria hospitis unius diei praetereuntis”.

Alius conceptus erratus vitae ab Auctore sacro animavertitur in 15,10-12 quoad malum usum vitae quem sibi fingit figulus, qui, praeter vasa testea, audet Deos vanos luto fingere, adulterans hoc modo deitatem: καὶ δόξαν ἡγεῖται ὅτι κίβδηλα πλάσσει (15,9e). Fundamentum et basis eius conceptus vitae est lucrum, quod ille extrahit ex infamiori munere: figuli enim ἐλογίσαντο παίγνιον εἶναι τὴν ζωὴν ἡμῶν καὶ τὸν βίον πανηγυρισμὸν ἐπικερδῆ, δεῖν γὰρ φησιν ὅθεν δὴ κἂν ἐκ κακοῦ, πορίζειν (15,12). Vita ab his hominibus putatur παίγνιον, lusus puerorum, oblectamentum, comoedia²⁷, et πανηγυρισμός, nundinae, mercatus²⁸, conceptus ceterum tempore nostri Auctoris non omnino ignotus²⁹; et quum munus eorum sit vanum et vile, sic et vita

²⁷ Cfr. pro hoc sensu Platon., *Leg.* 796: ἐνόπλια π., chorus armatus, arte scaenica rapraesentatus; *Leg.* 8 6: comoedia.

²⁸ Πανηγυρισμός erat celebratio sollemnis alicuius πανήγυρις, quae erat coetus festivus totius populi diebus festi, quibus fiebant ludi, processiones deorum, nundinae etc.; cf. Herod. 2,59; Xenoph., *Cyr.* 6,1,10; coetus parvulorum: νεοσσῶν: Eurip. *Hercul.* 239; amicorum: φίλων: Eurip., *Hercul.* 1283; etiam concilium deorum: Aeschyl., *Septem* 220. — “Pour lui, c’est un amusement d’enfant, παίγνιον, une sorte de foire, où l’on doit réaliser le plus grand gain possible: il faut savoir profiter de tout même du mal, c’est-à-dire du péché des autres (cfr. *Act.* 19,25sq.). C’est déjà l’aphorisme contemporain, dans tout son cynisme, que l’argent n’a pas d’odeur” (WEBER, 503).

²⁹ Haec similitudo vitae cuidam mercatui pluries adhibetur a Pythagora; cfr. enim, Ciceronem, *Tuscul.* 5,3 “...Pythagoram autem respondisse similem sibi videri vitam hominum et mercatum eum, qui habentur maximo ludorum apparatu totius Graeciae celebritate.” Diogen. Laert. 8,1,6 et 8: τὸν βίον εἰκέναι πανηγύρει; Jamblicum, *Vita Pythag.* 58. In atrio domus Lucii Caecilii Iucundi, Pompeii, augurium et compendium vitae paganae potes legere: “Salve lucrum”, et alibi: “Bonum lucrum”, et Juvenalis monebat cives sui temporis: “Lucri bonus est odor ex re qualibet” (*Satyr.* 14,204); Horatius: “Qui rem facias, rem si possis, recte; si non, quocumque modo, rem” (*Ep.* 1,1,65).

eorum : σποδὸς ἢ καρδία αὐτοῦ, καὶ γῆς εὐτελεστέρα ἢ ἐλπίς αὐτοῦ πηλοῦ τε ἀτιμότερος ὁ βίος αὐτοῦ (15,10).

Haec est ergo descriptio negativa vitae quam noster Auctor effingit et exprimit: negatio alicuius Entis Supremi vel προνοίας θείας, quae eventus et vitas humanas dirigat et unicuique suum finem peculiarem constituat; negatio directi interventus Dei in formatione vitae humanae et animae immaterialis et exinde immortalis, immissae in corpus corruptioni obnoxium, quae insimul compositum unicum formant, legibus ethicis superioribus subiectum ad assequendum propositum sibi finem; exinde, vero, executio vitae prorsus ethice erratae, exclusive in passionum corporis satisfactione fundatae, in voluptate, superbia, lucro; quae, quum transitoria sint et vana, utpote quae a corpore perituro iussa, vitam reddunt inanem et vilem : πηλοῦ τε ἀτιμότερος ὁ βίος αὐτοῦ (15,10) ³⁰.

Huic conceptui ethnico vitae auctor sacer opponit aliam conceptionem existentiae humanae et quidem novam conceptionem, si rationem praecedentis traditionis biblicae respicimus. Vita namque terrena non consideratur, ante omnia, propter se ipsam; sed e contra cogitationes et aetimationes gravitant in vitam alteram, aeternam beatam quae vera et unica vita putatur. Haec prima consideratio jam nos inducit ad vitam terrenam aestimandam tamquam aliquid contingens et transiens, non habens finem suum in hoc mundo cum sit subordinatum alteri veriori existentiae; explicatur sic exiguitas vitae ac debilitas hominis : ἄνθρωπος ἀσθενῆς καὶ ὀλιγοχρόνιος ³¹ (9,5), ejusque

³⁰ Cfr. pulcherrimam mentem Ciceronis: "Non ita generati a natura sumus ut ad ludum et iocum facti esse videamur; sed ad severitatem potius et ad quaedam studia graviora atque maiora" (*De Off.* 1,29); et alibi: "Ad altiora et magnificentiora... nati sumus... inest moderator cupiditatis pudor, inest ad humanam societatis iustitiae fida custodia, inest in perpetiendis laboribus adeundisque periculis firma et stabilis doloris mortisque contemptio" (*De Finibus*, 2,34).

³¹ Saepe S. Scriptura alludit ad hominis debilitatem et eius vitae exiguitatem et semper per quamdam speciem pessimismi, ob defectum clarioris luminis de vita futura et retributione; cfr. ex. g. *Gen.* 47,9; *Ps.* 90 et plures alios et totum librum Job; haec vero conceptio, in libro Sapientiae non afficit nequam laetum optimismum. Ut iam notum est exiguitas et brevitatis vitae humanae est thema ordinarium poeseos hellenicae, maxime lyricae monodicae; cfr. enim: Callinum, Mimnermum (πήχυιον ἐπὶ χρόνιον ἄνθεσιν ἤβης — τερπόμεθα; E. DIEHL, 1,1,51,11s.;

mortalitas: *Sed cura est illi, non quia laboraturus est* (οὐχ ὅτι μέλλει κάμνειν)³² *nec quoniam brevis illi vita est* (15,9). Ratio repetenda est in hoc, quod vita hominis non est, si ita loqui fas est, αὐτόχθων in homine, sed est a Deo mutuata, ut per ipsam alteram vitam mereatur: *Et post pusillum reducit se unde acceptus est* (πορεύεται ἔξ ἧς ἐλήμφθη) *repetitus animae debitum, quam habebat* (τὸ τῆς ψυχῆς ἀπαιτηθεὶς χρέος, 15,8) et alias: *qui spiritum mutuatus est, is finxit illos* (15,16)³³. Anima est ergo in depositum credita, quod reddere debet homo quum Deus id requirat, et vita est tempus huius depositi et vitae dominus Deus solus est, qui eam auferre potest quocumque momento voluerit; et cum sit dominus vitae, vita agenda est iuxta praecepta eius et leges.

Attamen haec contingentia et exiguitas vitae minime efficit Sapientem tristem, eo quod vita consideratur pro consecutione finis a Deo inditi quum hic finis effectus est, quem deus ab homine expetiverat, mors non amplius est malum, sed praemium vitae, quia ad praemium verae vitae immortalis introducit. In consideratione, ergo, vitae terrestris non computantur anni, sed solum elementum ethicum: *Senectus enim venerabilis est non diuturna* (γῆρας γὰρ τίμιον οὐ τὸ πολυχρόνιον) *neque annorum numero computata; cani autem sunt sensus hominis* (πολιὰ δὲ ἔστιν φρόνισις) *et aetas senectutis vita immaculata* (4,8-9). Valor vitae terrestris est consecutio φρονήσεως, prudentiae, quae est synonymum omnium virtutum,

quam similitudinem Homerus quoque iam adhibuerat in *Iliad.* 6,146-149 (et *Job* 14,2); cf. quoque *Odys.* 18,107-112; *Iliad.* 24,525-31), Semoniden Samensem in cuius iambis refert tristissimam imaginem vitae miseriarumque hominis; dum in quadam elegia resumit conceptum Homeri (*Iliad.* 6,146): οἴη περ φύλλων γενεή, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν et evolvit ad obscurum pessimismum (cf. E. DIEHL, 1,3 63,5); Piodaruu, *Pyth.* 8,95-98; maxime autem Tragicos: cf. ex. g. Soph., *Oedyp.* Tyrannum; Euripid. *Orest.* 976; Chresph. (449 Nauck.) eiusque fragm. 285 et 908 ed. NAUCK; quoad pessimismum graecorum conferre potest: MARQUARD, *Die pessim. Lebensauff. d. Altertums*, 1903; G. ENTZ, *Pessim. u. Weltflucht bei Plato*, 1911; NESTLE, *D. Pessim. u. S. Ueberw. b. d. Griech.*, 1921.

³² Κάμνειν habet hic certe significationem "moriendi", praeter sensum ordinarium "lassum esse"; cf. enim expressionem homericam: εἶδωλα καμώντων (*Iliad.* 23,72; *Odys.* 24,14), vel apud Thucydiden, 3,59; Platon., *Leg.* 718; 927: κεκμηότες, κεκμηότες: mortui, et apud Euripid., *Trach.* 96: ἱερά τῶν κεκμηκότων et pluries in Aeschilo.

³³ Cf. similem ideam in pagano Plutarcho, in *Cons. ad Apoll.* 10,28.

quae testantur existentiam jam maturam, quaeque reddent vitam puram, βίον ἀκηλίδωτον ethice. Quae cum ita sint obiectio mortis iusti immaturae nequaquam officit existentiae προνοίας divinae, ut videbimus, utpote quia iustus, etsi tam exigui vita, explevit tempora multa, attingens illum gradum plenae evolutionis moralis cui tendere debebat³⁴.

Ex quo efficitur ut mors, sensu pleno et completo, non sit mors physica, quae non est malum iusto (cf. 3, 2-3), sed mors animae, mors aeterna peccatorum, quam Deus non fecit, quamque ipse homo assequitur per vitam, pravis operibus a recto tramite aberrantem³⁵: *Nolite zelare (μή ζηλοῦτε) mortem in errore (ἐν πλάνῃ) vitae vestrae, neque acquiratis perditionem (μηδὲ ἐπισπᾶσθε ὄλεθρον) in operibus manuum vestrarum. Quoniam Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum (1, 12-13).*

Consilium Dei vult homines immortales, at immortalitate beata et felici (cf. 2, 23); quod hanc immortalitatem attingit est vita ethice bona, quae non distinguitur a vita futura nisi ut praeparatio et conditio istius; quod vero consilium Dei impedit est vita prava, idest peccatum, quod generat mortem animae etiam in hac terrestri vita; vita ergo peccatorum est mors, quae deinde completur et aeterna evadit in altera vita, quae est aeterna mors: *Quoniam Deus creavit hominem inextermabilem (ἐπ' ἀφθαρσία) et ad imaginem similitudinis suae (καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ιδιότητος) fecit illum. Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum. Imitantur autem illum (πειράζουσιν δὲ αὐτὸν) qui sunt ex parte illius (2, 23-24)³⁶.*

³⁴ Cicero quoque huic rei assentit, quum scribit: "Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectae perfecte functus est munere." (*Tuscul.* 1,45,109); et Seneca: "Vita non quamdiu, sed quum bene apta refert" (*De Brevitate vitae*).

³⁵ Quoad conceptum de morte in Sapiencia multa essent dicenda, praesertim in relatione ad eundem conceptum in S. Paulo, qui certe a Sapiencia dependet; pro nostro autem parvo studio haec sufficere censeo; de hac questione potes conferre F. R. TENNANT, *The Teaching of Eccl. and Wisdom on the introduction of Sin and Death*, *JThSt.* 2 (1901) 207ss.; E. TOBAC, *Quaenam est libri Sap. doctrina de origine mortis?*, in: *La vie Diocésaine*, Juil. 1913; J. P. WEISENGOFF, *Death and Immortality in the Book of Wisdom*, Washington 1940; J. P. WEISENGOFF, *Death and Immortality in the Book of Wisdom*, in *Cat. Bibl. Q.* 3 (1941) 104-133.

³⁶ "La mort n'est pas expérimentée par tous les hommes, mais seulement par ceux qui se rallient au parti du diable. Il s'agit donc d'autre chose que de la mort corporelle, sort commun des justes et des impies et simple apparence de malheur pour les premiers" (3,2) (A. M. DUBARLE, *Les Sages d'Israël*, Paris 1946, 192).

Ex his ergo textibus, in quibus θάνατος parallela edicitur cum ὄλεθρος, "exitium", "interitus"³⁷, cum ἀπόλεια, verbo tecnico, quo perditio aeterna significatur³⁸, certe deduci potest θάνατον vere et proprie, sensu pleno, esse pro Auctore libri Sapientiae mortem spiritualem, quae provenit a peccato: conceptus hic omnino novus pro traditione biblica praecedenti. Quoad vero mortem corporalem, et hoc valet pro nostro studio, Auctor optimismum fundamentalem non amittit; aequo enim animo remanet etiam ob existentiam huius mortis corporalis et dolorum, qui, ea instante, suboriuntur; non est malum: iusti enim videntur ab oculis impiorum mori (ἔδοξαν ἐν ὀφθαλμοῖς ἀφρόνων τεθνᾶναι), illi autem sunt in pace (ἐν εἰρήνῃ) idest omnibus bonis fruuntur; verum malum est iniustitia, mors vera causatur a peccato, quod et deordinationem moralem et religiosam affert et ad consectaria calamitosa perducit.

Eodem optimismo religioso Auctor solvit problema doloris: vita iusti non expers est omnino dolorum et aerumnarum; at hi dolores a Deo permittuntur ut fideles et iusti mereri possint alteram vitam perennem et immortaliter beatam; ex altera parte hi dolores certe non habent proportionem adaequatam ad futuram gloriam, qua Deus coronabit iustos patientes³⁹; demum dolores iustorum etiam in hac terra lenientur consideratione praemii et spe immortalitatis beatae: καὶ γὰρ ἐν ὄψει ἀνθρώπων ἐὰν κολασθῶσιν, ἢ ἐλπίς αὐτῶν ἀθανασίας πλήρης καὶ ὀλίγα παιδευθέντες μεγάλα εὐεργετηθήσονται. Aerumnae et dolores habent rationem altissimam et theologiam, nempe ut iusti patientes digni Deo inveniantur et praemio aeterno, quod est gloria maxima: regnum aeternum et dominium morale et spirituale in nationes in coniunctione cum Deo ipso: *Quoniam Deus tentavit eos et invenit illos dignos se... Iudicabunt nationes, et dominabuntur populis et regnabit Dominus illorum*

³⁷ In N. T. haec vox potissimum de interitu spirituali aeternae damnationis, I *Thess.* 5,3; II *Thess.* 1,9; I *Tim.* 6,9; in uno loco tantum (I *Cor.* 5,5) Paulus loquitur de homine Satanae tradendo εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκός "ut intereat caro", nempe ut corporis afflictationibus carnis cupiditas destruat; cfr. ZORELL, sub voce.

³⁸ Cf. *Job.* 17,12; *Mt.* 7,13; *Rom.* 9,22; *Philp.* 1,28; 3,19; II *Thess.* 2,3; *Hebr.* 10,39; II *Petr.* 2,1; 3,7.16; *Apoc.* 17,8.11; ambae locutiones in I *Tim.* 6,9.

³⁹ Eadem consideratio invenitur apud Paulum in II *Cor.* 4,17; cfr. *Rom.* 8,18; *Jac.* 1,12.

(καὶ βασιλεύσει αὐτῶν κύριος) *in perpetuum* (3, 4-8)⁴⁰. Nec putandus est malum dolor; quin potius tamquam medium quo iusti splendiores fiant⁴¹: *tamquam aurum in fornace probavit illos et quasi holocausti hostiam accepit illos* (3, 6)⁴².

Unum ex maximis desideriiis, quae iusti V. T. a Deo expectabant, erat sine dubio vita diutissime acta, cuius acquisitio putabatur tamquam signum certum et tangibile benedictionis Dei in timentes eum et sperantes in illo. Hoc ita aestimabatur bonum et benedictio Dei, ut pii homines, sicut Job, intelligere nequirent quomodo etiam a malis possiderentur⁴³. Magni exinde aestimabatur effugium ab omni morbo vel quovis periculo mortis, et ex altera parte gratitudo profunda erga Deum, ut fontem inexhaustum existentiae diuturnae et felicitis⁴⁴. Haec conceptio, licet in tota praecedenti traditione bi-

⁴⁰ Ex Sap. 3,9 patet hoc regnum esse regnum morale, spirituale et quidem in futura vita; proinde non audiendus est GRIMM qui contendit Auctorem Sap. cogitare sicut auctores librorum apocryphorum sui temporis; Auctor enim noster bene distinguit humiliationem iustorum in hac terrestri vita a gloria, quae honori regnantium assimilatur, quaeque ut praemium ob dolores perpassos praebebitur. Iuxta libros apocryphos, vero, dominium iustorum, tempore messianico, erit omnino temporale et politicum cum Rege Messia; cfr. de hoc argumento SHÜRER, *Geschichte des jüdischen Volkes*, 2,628sq; LAGRANGE, *Le Judaïsme avant Jésus-Christ*, Paris 1931,155sq.

⁴¹ Comparatio doloris iustorum cum auro in fornace sat est frequens in S. Scriptura; cf. enim Job 23,10; Prov. 17,3; Ps. 65 (66),10; Eccli. 2,5 etc.; et non ignota etiam paganis: "scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum, — tempore sic duro est inspicienda fides" (Ovidius, *Tristia* 1,5,25-26) "Ignis aurum probat, miseria fortes viros" (Seneca, *De Providentia*, 5).

⁴² Bene concludit de hoc argumento WEBER: "Dans ces quelques versets (1,6) le Livre de la Sagesse a résolu avec simplicité, mais avec une clarté inconnue jusque là, le problème de la souffrance, qui avait beaucoup préoccupé les autres hagiographes, ses prédécesseurs; le christianisme n'aura qu'à compléter ces notions, en y ajoutant l'idée de la valeur rédemptrice de la souffrance de tous (Col. 1,24) et celle de l'imitation du Christ crucifié (Lc. 9,23...) pour que nous ayons une réponse satisfaisante à ce grand mystère de la douleur humaine permise par Dieu, et auquel notre sensibilité se heurte si obstinément" *Le Livre de la Sagesse*, 417-418).

⁴³ Cfr; Job 21,7.

⁴⁴ "L'incontenibile desiderio di una lunga vita spiega quella oscura tristezza della quale ogni pio israelita si sente oppresso quando considera i suoi giorni precipitare intempestivamente verso la fine, anzi talvolta al solo affacciarsi del pensiero di una morte immatura" (ISIDORO TELL, *Gli oggetti ed i motivi della fiducia in Dio nella pietà del salterio*, Badia di Praglia, 1943, 12); cfr. e.g. *Psalms* 36 (37) 5-7.12; 89 (90) 1,12; 101 (102) 24ss.; 108 (109) 23.

blica inveniatur, maxime tamen conspicitur in Psalmis ob eorum indolem supplicativam ⁴⁵.

Auctor, vero, libri Sapientiae huic conceptioni sese opponit: praematura mors, potius quam malum, est beneficium Dei, quod concedit hominibus quos diligit; nam videt in historia Henoch, quem ut symbolum omnis hominis iusti assumit, signum mortem immaturam iusti iuvenis esse gratiam specialem et documentum amoris divini: εὐάρεστος τῷ θεῷ γενόμενος ἠγαπήθη καὶ ζῶν μεταξὺ ἀμαρτολῶν μετετέθη (4,10), quae sunt verba quibus Genesis narrat translationem Henoch: καὶ εὐηρέστησεν Ἐνώχ τῷ θεῷ καὶ οὐχ ἠύρισκετο, διότι μετέθεκεν αὐτὸν ὁ θεός (Gen. 5,24), cui consonat etiam Siracides; Ἐνώχ εὐηρέστησεν κυρίῳ καὶ μετετέθη (Eccli. 44,16; cf., in traditione posteriore, Hebr. 11,5). Mortem praematuram non esse malum, sed beneficium Dei provenit ex duplici consideratione: vita non dimensa est numero et longitudine annorum, sed ex φρόνησις et ex βίος ἀκηλίδωτος (cf. 4,9), ut postea Seneca hoc exprimet: "vitam actu metimur, non tempore" ⁴⁶; exinde cum aliquis homo plenam perfectionem moralem, suo statui convenientem, attigerit, iam est praemio maturus et dignus; ex altera parte vita longaeva non est sine periculo; nam: *Fascinatio enim nugacitatis* (φαιλότητος) *obscurat bona* (τὰ καλά) *et inconstantia* (ῥεμβασμός) *concupiscentiae transvertit sensum sine malitia* (νοῦν ἄκακον, 4,12).

Iustus ergo quum Deo placuerit ob vitam immaculatam, plenam perfectionem moralem, licet exiguo tempore, assequutus (τελειωθείς ἐν ὀλίγῳ ἐπλήρωσεν χρόνους μακρούς, 4,13) rapitur ex hac terra (ἠρπάγη) a Deo, qui non vult ut anima eius corrumpatur: μὴ

⁴⁵ "Essendo la longevità considerata dai Salmisti come uno dei beni migliori e come tale ritenuta, almeno in epoca più remota, quale ricompensa esclusiva dei buoni, veniva da sé che essi, tra gli altri mali che imprecavano ai loro empī avversari, non dimenticassero quello di una esistenza recisa innanzi tempo. Anzi presso l'antica pietà israelitica, era ritenuto universalmente per certo che i malvagi dovessero chiudere la loro vita con una morte prematura, evento questo che dai giusti era considerato come la pena più grave con la quale quelli potevano venire colpiti da Jahvé" (I. TELL, o.c., 12). — Quoad hanc conceptionem cfr. Ex. 29,12; Prov. 3,1-2. 10,31; Pss. 20 (21) 5; 60 (61), 7; 90 (91) 16; 108 (109) 8; Job 21,7; 29,11-18; quoad mortem immaturam: Pss. 36(37) 5-7; 89(90) 1-12; 101(102) 2+ss.; 108 (109) 23 etc.; vita longaeva promittitur donum aetatis messianicae: Is. 65,20-23; Zac. 8,4.

⁴⁶ Epist. 93.

κακία ἀλλάξῃ σύνεσιν αὐτοῦ, ἢ δόλος ἀπατήσῃ ψυχὴν αὐτοῦ (4,11). Merito quidem Auctor potest commentari hoc esse beneficium Dei et signum eius praedilectionis: ἀρεστὴ γὰρ ἦν κυρίῳ ἡ ψυχὴ αὐτοῦ, διὰ τοῦτο ἔσπευσεν ἐκ μέσου πονηρίας (4,14)⁴⁷. Aliud bonum magnopere exoptatum a iustis Antiqui Foederis erat crebra suboles, cuius possessio signum erat benedictionis Dei⁴⁸, et praemium ob vitam sanctam, iuxta promissiones quas Deus ediderat in lege Moysis⁴⁹; sterilitas vero ut poena et malum habebatur⁵⁰. Liber vero Sapientiae etiam huic traditioni sese opponit et statuit principium: κρείσσων ἀτεκνία μετὰ ἀρετῆς (4,1); infecunditas potentior est ob eius valorem spiritualem si sit cum virtute coniuncta; vox enim κρείσσων (cf. κράτος) designat aliquem vel aliquid superius ob valorem internum, puta vim physicam vel virtutem moralem et exinde libenter tribuitur ab Hellenis suis Deitatibus: οἱ κρείσσορες θεοί, in Aeschylo (*Prom.* 902); vel solum: οἱ κρείσσορες, in Platone (*Soph.* 216; *Euthyd.* 291); Plutarch.

⁴⁷ Hic conceptus etiam apud gentiles invenitur; in fragmento enim 425 Menandri, sic scriptum reperimus: ὃν γὰρ θεοὶ φιλοῦσιν ἀποπνέσκει νεός, quem Plautus vertit: "Quem dii diligunt adolescens moritur" et Cicero scribit: "Non mehercule quemquam audivi adolescentulum aut puerum mortuum, qui mihi non a diis immortalibus raptus ex his miseriis atque ex iniquissima vitae conditione videretur" (*Ep. ad Fam.* 5,16).

⁴⁸ "Essa rappresentava una delle beatitudini del Vecchio Testamento e il premio di una condotta tutta ispirata dal timore di Dio. Infatti coloro che onorano Jahvé non solamente avranno la gioia di potere vedere una superba corona di figli radunati intorno alla propria mensa, giovani e robusti, come altrettanti rigogliosi rami di olivo, ma la loro stessa discendenza si prolungherà potente e felice sopra la terra. Uno dei migliori auguri che potesse venir rivolto a un bravo Israelita era proprio quello di una numerosa famiglia e, ancor più, di una numerosa discendenza. Perché i figli, specialmente se vegeti e robusti, costituivano il fondamento dell'autorità e dell'onore della famiglia davanti ai concittadini e, per questo stesso fatto, un grande motivo di gioia per il padre. Essi erano per lui come "saette in mano di un eroe; beato chi ne aveva la faretra piena". Naturalmente perché questa lieta benedizione di Jahvé potesse effettuarsi nella famiglia era indispensabile una moglie brava e feconda cui il dono di sempre nuove creature diveniva argomento di maggior letizia. Si comprende come in conformità con queste idee, il violento estinguersi di una discendenza fosse ritenuto per uno dei peggiori castighi di Dio riservati ai malvagi". (*I TELL*, *op. c.* 13). Cfr. e. g. *Pss.* 4,8; 33(34) 17; 36(37) 25ss.; 111(112) 2; 112(113) 9; 126(127) 3-5; 127(128) 3-6; 143(144) 12-15; *Job* 18,19; 21,8.11; *Is.* 9,2; *Jer.* 48,33; etc.

⁴⁹ Cfr. *Ex.* 23,56; *Deut.* 7,14; 28,4.11ss.

⁵⁰ Cfr. *Gen.* 16,1-4; *I Sam.* 2,5; *Os.* 9,14; *Luc.* 1,25.

(*Pyrrh.* 24); vel: ὁ κρείσσων, in *Atenaeo* (660); vel: τὰ κρείσσω in Euripide (*Jon.* 973).

Quin ergo infecunditas putanda malum sit, est illa e contra validior quam foecunditas et idem ob valorem internum: virtutem, dum foecunditas valorem suum repetit a numerositate filiorum, qui est valor omnino externus. Virtutem heic non accipimus castitatem perfectam, sed solum vitam rectam et iustam, consonam legi Dei. Haec virtuosa infoecunditas gaudet bonis iisdem ac foecunditas: immortalitate memoriae apud Deum et homines; et insuper honoratur ab hominibus, qui *cum praesens est, imitantur illam et desiderant eam cum se eduxerit*; et demum praemium aeternum sibi comparabit in vita futura, quale deceat athletic, qui cum victoria certaverint (4, 1-2). Ideo felix est sterilis (μακαρία στεῖρα ἢ ἀμίαντος, ἥτις οὐκ ἔγνω κοίτην ἐν παραπτώματι), quoniam praemium magnum (παρπὸν) habebit in retributione futura (ἐν ἐπισκοπῇ ψυχῶν, 3, 13)⁵¹.

Lex Moysis statuerat eunuchum extra populum electum; in *Deut.* 23, 1 eunuchus prohibebatur intrare in ecclesiam, sicut filius ex adulterio natus; iam *Isaias* (56, 3-5) illi promiserat quamdam restorationem et "rehabilitationem": si fuerit fidelis legi Dei et foedus servaverit, poterit iterum in domum Domini introire et nomen sempiternum mereri. Auctor Sapientiae hanc ideam *Isaiae* prosequitur: καὶ εὐνοῦχος (subintellige: μακάριος) ὁ μὴ ἐργασάμενος ἐν χειρὶ ἀνόμημα μηδὲ ἐνθυμηθεὶς κατὰ τοῦ κυρίου νονηρά, non agitur certe de eunuchis generis tertii, de quibus *Mt.* 19, 12, sed de illis (cf. v. 13) qui non potuerunt matrimonium contrahere ob physicum defectum et excludebantur ab ecclesia; si iusti fuerint, dabitur eis κληρὸς ἐν ναῶ κυρίου θυμηρέστερος (3, 14); quod templum est certe templum coeleste. Si haec mala non sunt, quis ergo infelix dicendus est? Qui abicit sapientiam et disciplinam: σοφίαν γὰρ καὶ παι-

⁵¹ Bene de hac conceptione scribit Weber: "Le livre de la Sagesse comme d'un coup d'aile, s'élève au-dessus de ces contingences imparfaites, tenant au caractère provisoire et inachevé de la Loi ancienne, et auxquelles un idéal nouveau devra bientôt se superposer et même se substituer: il y a une fécondité supérieure, de nature spirituelle, qui compense amplement ce que le époux stériles peuvent avoir perdu, et qui forme un heureux contraste avec la misère des familles des pécheurs, déjà entrevu au v. 12" (*Le livre de la Sagesse*, 420).

δείαν ὁ ἔξουθενῶν ταλαίπωρος; σοφία est hic accipienda sensu religioso : est virtus qua homo adhaeret Deo ut fini suae existentiae et totam rationem conformat huic adhaesioni; παιδεία significat vero potius exercitium activum omnium virtutum moralium, quibus meretur exinde vitam feliciter immortalem. Qui ergo hoc exercitium spernunt prorsus infelices sunt dicendi quia *vacua* (κενή) *est spes illorum, et labores sine fructu* (ἀνόνητοι) *et inutilia opera eorum* (3, 11).

Unde vita concipienda est continua παιδεία, continuum exercitium virtutum et sicubi exercitium virtutum constituit continuam pugnam in proprias passiones, eas coercendo et superando, vita est essentialiter ἀγών (52); pugnam constituunt probationes et proelia quae Auctor vocat ἀμίαντα (4,2), quia haec proelia, in se considerata, sunt mere spiritualia et moralia, absque viribus physicis, vel quia ex his proeliis victoribus acquiritur integritas et perfectio moralis; vel quia referuntur ad hostem, adversus quem praeliatur iustitia et probitate quique ex eis non consequitur damnum, dum victor gloriam⁵². Praemium, vero, ob conceptionem vitae praesentis in alteram futuram gravitantem, Auctor expectat in altera immortali vita: ἐν τῷ αἰῶνι στεφανηφοροῦσα πομπεύει (4,2)⁵³.

Vita est ergo ἀγών sensu negativo quatenus agitur de obstaculis moralibus superandis; sed est ἀγών etiam sensu positivo, quum agitur de acquirenda et consequenda illa perfectione morali ad quam pervenire tenetur homo; quod Auctor subintelligit quum loquitur de quaerenda Sapientia: vita tota absolvi debet in quaesitione Sapientiae. In 6,12-21 Auctor loquitur de facilitate aditus ad Sapientiam pro omnibus hominibus, licet in contextu solos regnantes

⁵² Cfr. Sap. 4,2: καὶ ἐν τῷ αἰῶνι στεφανηφοροῦσα πομπεύει τὸν τῶν ἀμιάντων ἀθλων ἀγῶνα νικήσασα.

⁵³ "Le lotte della virtù sono intemerate, perchè animate da generosi propositi e condotte con giustizia e lealtà contro un mondo perverso o vili passioni, lotte che onorano il vincitore e non danneggiano il vinto". (VACCARI, *La Sacra Bibbia*, V: *I libri poetici* -2, Firenze, 1950, 138). Alias WEBER: "La vie morale est en effet une lutte, ἀγών, dont il faut sortir victorieux. Cette lutte comporte des séries d'épreuves, de combats. L'Auteur les appelle immaculées, τῶν ἀμιάντων ἀθλων ἀγῶνα, parce que, sans doute, on doit s'y préserver de toute fraude, de toute déloyauté, ou encore parce qu'on y garde sa netteté, sa propreté morale; alors que les combats athlétiques ne connaissent que trop facilement les tricheries, et entraînent des souillures physiques de boue, de sang...". (*Le Livre de la Sagesse*, 423).

alloquatur; Sapientia certe hic accipienda est sensu morali religioso, quatenus norma vitae et recta agendi ratio erga Deum, iuxta eius praecepta ut liquido ex vv. 18-19 colligitur: *Initium (ἀρχή) enim illius verissima est disciplinae (παιδείας) concupiscentia; cura ergo disciplinae dilectio est; et dilectio (ἀγάπη δὲ) custodia legum illius est, custoditio (προσοχή) autem legum consummatio (βεβαίωσις) incorruptionis est; incorruptio autem facit esse proximum Deo (ἐγγύς εἶναι ποιεῖ θεοῦ, 6,18-20).*

Praemium autem erit inaestimabile, nempe: regnum aeternum in beata immortalitate: ἐπιθυμία ἄρα σοφίας ἀνάγει ἐπὶ βασιλείαν (6,20)⁵⁴. Quid vero accuratius sit haec σοφία Auctor id deducet in 8,2-8 ex bonis quae ipsa producit; notionem accuratam mysteriorum Dei affert; magis aestimanda et pretiosa est quam divitiae et artes; est iustitia, sensu amplissimo, quatenus omnes virtutes importet; demum est fundamentum et basis magnae experientiae (πολυπειρίαν) hominis in vita: ipsa enim transactum novit et futurum praevidet, quatenus et a praeteritis factis et experiētiis, memoriae commissis, monitum pro vita futura, in morali ordine et religioso affert. Sapientia est ergo ἀρετή, virtus moralis, et vita nihil aliud quaerere debet quam virtutem, perfectionem moralem⁵⁵. Sed obici potest Auctori, qui

⁵⁴ Bene de hoc versu scribit WEBER: "On remarquera que, dans ce passage, qui vise, au delà des rois, les lecteurs du peuple, la notion de royauté, de règne, a subi une spiritualisation, comme dans la première partie les notions de vie et de mort. La Sagesse donne un règne qui peut sans doute dans les cas des rois, avoir son commencement en ce monde, mais qui se perpétue (et cela, en un sens, pour tous), auprès de Dieu, dans des conditions tout autres: c'est la souveraineté véritable, sans laquelle la domination terrestre ne serait qu'une source de terribles responsabilités (VI, 3-11) ou de déboires (V, 23, d)" (*Le Livre de la Sagesse*, 441s).

⁵⁵ Virtutem esse finem vitae est dogma usitatum in philosophiis hellenisticis et maxime in schola stoica; sufficiunt hic aliqua documenta: de his Stoicis scribit Diog. Laert. (7,127): ἀυτάρκη τε εἶναι αὐτήν (τὴν ἀρετήν) πρὸς εὐδαιμονίαν, καθά φησι Ζήνων καὶ Χρῦσιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Ἀρετῶν... Εἰ γὰρ φησὶν, αὐτάρκης ἐστὶν ἡ μεγαλοψυχία πρὸς τὸ πάντων ὑπεράνω ποιεῖν, ἔστι δὲ μέρος ἀρετῆς, αὐτάρκης ἐστὶ καὶ ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν, καταφρονοῦσα καὶ τῶν δοκούντων ὀχληρῶν (V. ARNIM 3,13,17ss). "Haec de Stoicorum secta sunt, qui dicunt virtutem solam sufficere ad vitam beatam" (Porphyrius *ad Hor.* carm. III, 2,17. V. ARMIN, 3,13, 23-24); "Atque ibi Stoicus censebat, et vitam beatam homini virtute animi sola et miseriam summam malitia sola posse effici etiamsi cetera bona omnia, quae corporalia et externa appellerentur, virtuti deessent, malitiae adessent" (Gellius, *Noctes Att.* 18,1,4); pressius

hominem fragilem, etiam moraliter, agnoscit, quid eveniat quum homo, a recto tramite devians, peccat, et exinde a fine suo vitae abscedit. In hoc Auctor dilucidus et apertus est: homo potest denuo redire ad pristinum iter per μετάνοιαν, quam Deus, ceterum, praeparat per suam punitivam παιδείαν: Deus, enim parvam poenam prius peccatori immittit (κρίνων κατὰ βραχύ: 12,10; κατ' ὀλίγον ἐλέγχεις: 12,2 et quidem cum mansuetudine: μετὰ τῶσαύτης ἐπιμωρήσω προσοχῆς καὶ διέσεως: 12,20) ut peccator intelligere et reicere suum malum possit (ἵνα ἀπαλλαγέντες τῆς κακίας πιστεύσωσιν ἐπὶ σε: 12,2; δοὺς χρόνους καὶ τόπον δι' ὧν, ἀπαλλαγῶσι τῆς κακίας: 12,20); postea veniam concedit ob suam φιλάνθρωπίαν (1,6; cf. 12,19) et ob μετάνοιαν hominum (12,19); gubernium enim morale Dei erga homines est essentialiter gubernium misericordiae (cf. 12,18: ἐν ἐπιεικείᾳ κρίνεις καὶ μετὰ πολλῆς φειδοῦς διοικεῖς ἡμᾶς et 15,1: ἐλέει διοικῶν τὰ πάντα).

De hoc potest conferri 12,2-27 quoad Cananaeos et Aegyptios, qui a Deo puniuntur semper intuitu conversionis et ut cognoscant et agnoscant supremum Dei dominium (12,27), et quidem prius per poenam parvam, ut fit cum pueris, qui leniter corripiuntur: (ὡς παισὶν ἀλογίστοις τὴν κρίσιν εἰς ἐμπαιγμὸν ἔπεμψας: 12,25). Si ita agit Deus cum paganis, pro fidelibus specialem providentiam ostendit:

Alexander Aphrodisius scribit: ἔτι οὐκ, “εὖ ᾧ ὁρῶμεν, τῇ τούτου ἀρετῇ εὖ ὁρῶμεν, καὶ ᾧ ἀκούρμεν τῇ τούτου ἀρετῇ εὖ ἀκούρμεν, καὶ διὰ τοῦτο, ᾧ ζῶμεν, τῇ τούτου ἀρετῇ εὖ ζῶμεν, ὥστε εἴη ἂν < ἡ > τῆς ψυχῆς ἀρετῇ εὐδαιμονία· ψυχῇ γὰρ ζῶμεν” (*de anima libri mant.* 166,21; v. ARMIN 3,14,35ss.; Cicero vero ait: “Jam vero qui potest vix bonus non ad id, quod laudabile sit, omnia referre, quae agit quaeque sentit? Refert autem omnia bona ad beate vivendum. Beata vita igitur laudabilis. Nec quicquam sine virtute laudabile. Beata igitur vita virtute conficitur”. (*Tuscul. Disput.* 5,48); cf. eundem in *De Finibus*, 3,43; 4,30; Seneca quoque haec ait: “Qui prudens est, et temperans est, qui temperans, est et constans, qui constans est, imperturbatus est, sine tristitia est; qui sine tristitia est, beatus est: ergo prudens beatus est et prudentia ad beatam vitam satis est”. (*Epist.* 85,2); et alibi: “Qui fortis est, sine timore est. Qui sine timore est, sine tristitia est. Qui sine tristitia est, beatus” (*Epist.* 85,24). De hac questione multa scripta sunt: quoad ἀρετή in genere apud Graecos, cf. K. KOCH, *Quae fuerit ante Socratem vocabuli ἀρετή notio*, Jena 1900; et potissimum JUL. STENZEL, in *Studien zur Entwicklung der platonischen Dialektik von Sokrates zu Aristoteles* (praesertim primum studium: Arete und Diairesis) Leipzig-Berlin, 1931; A. DUROFE, *Die Ethic der alten Stoa*, Berlin, 1897; GUIDO MANCINI, *L'etica Stoica da Zenone a Crisippo*, Padova, 1940; (cfr. praesertim caput 3um qui de virtutibus stoicis agit). Ampliorem bibliographiam de ethica philosophiarum hellenisticarum potes invenire in CARLO MAZZANTINI, *La filosofia nel filosofare umano. Storia del pensiero antico*. Torino-Roma 1949.

ipsi enim non solum maiorem certitudinem veniae habent (cf. 12, 19-22); sed hoc ipsum quod ad Deum pertinet est iam dissuasio a peccato; quia memoria Dei benigni, fidelis et patientis est frenum quam maxime efficax ne in peccatum labantur; sunt ergo in magna facilitate ad legem moralem observandam, quia veri Dei notionem possident: apti exinde ad scopum et finem vitae suae assequendum: *Etenim* (καὶ γάρ) *si peccaverimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam* (σου τὸ κράτος), *et si non peccaverimus, scimus quoniam apud te sumus computati* (ὅτι σοὶ λελογίσμεθα). *Nosse enim te consummata* (δλόκληρος) *iustitia est, et scire virtutem tuam radix est immortalitatis* (15,2-3).

Ut quae diximus conclusione omnia perstringamus, optime affirmare possumus conceptionem vitae, a nostro Auctore Sacro expositam, esse ex se religiosam et in alteram veram vitam gravitare; insuper admittere cogimur hanc conceptionem permeatam esse sano optimismo. Jam vidimus aliqua elementa ex quibus hic optimismus, sicut e fonte, profluit: non existit causa physica, vel moralis, mali, quae ab homine non dependeat; totum malum physicum pendet a malo morali, et malum morale causatur ab homine; homo etiam hoc malo detentus potest sese liberare per μετάνοιαν, praeveniēte παιδεία Dei. Mala physica vitae quae sequuntur naturam, ut mors et dolores physici, iudicari debent sub aspectu religioso et exinde non mala putabuntur sed bona pretiosa, ut vitam alteram assequi valeant, quum haec vita non quies est sed ἀγών. Nec dicenda est Natura fons mali, cum sit prorsus bona (1,14); ipsa est essentialiter serva et ministra Dei (cf. 16,24 s). Auctor sacer Naturam amat excellenter; fascinatione eius mutationum et significationum rapitur et praesentiam in ea sentit Deitatis: (cf. 17,18-19); eam comparat psalterio, dulcissimos melos emananti (19,18); quam maxime, vero, lucem amat, et exinde horrorem ei incutit tenebrosa nox: lux est enim ipsa πρόνοια Dei: 17,2; lux est gaudium (18,1), tenebrae sunt, vero, poena intolerabilis (cf. descriptionem mirabilem aegyptiae plagae tenebrarum in 17,5-6) ⁵⁶.

⁵⁶ Hic conceptus Naturae pulchritudinis est prorsus hellenicus, quae pulchritudo non sistitur tantum in diversis et concretis significationibus mundi, sed elevatur ad conceptum universalem ad quoddam principium metaphysicum et

Attamen Auctor non se sistit in Natura, ut in se ipsa, sed ex ea ad Factorem summum ascendit et considerationes religiosas ex ea deducit: lux est imago doctrinae religiosae quam Israel allaturus est in mundum (18,4); tenebrae vitam peccatricem significant (17,2-4). Pulchritudo tota universi visibilis est argumentum firmissimum existentiae Creatoris, quam maxime pulchrioris illo (cf. 13,3-5).

Negata existentia Mali subsistentis et Naturae, fontis mali, anima hominis non opprimi se sentit ab aliquo fato seu necessitate, tum physica, tum morali; finis suus est vita aeterna immortalis et beata, quam mereri tenetur in hac vita; est prorsus libera consequendi hunc finem, vel, sua voluntate, eum abiciendi, quum libero arbitrio gaudeat. Vita hominis terrestris, licet sit ἀγών, tamen laeta esse potest si coniuncta cum ἀρετή, quia spe immortalitatis, qua deceptus esse non potest, fruitur quaeque innumeras consolationes etiam in hac vita continuo affert. Gaudia terrena sine virtute, non vera gaudia putanda sunt, quia et deficit diuturnitas in hac vita, conformitas cum aspirationibus humanis et spes vitae futurae.

ethicum. “Una delle più grandi conquiste dell’ellenismo è stata proprio quella di avere portato (gradatamente bensì, e facendo fruttificare con immenso sforzo la nativa disposizione provvidenziale), di aver portato, dicevo, a piena e riflessa consapevolezza filosofica che il “divino” è ad un tempo lontanissimo e vicinissimo, trascendente in sè e partecipato nel mondo; che l’essere è sotto un’aspetto in sé eternamente costituito, e sotto un altro suo aspetto rischiosamente costituentesi nel tempo. L’ordine cosmico (ordine di verità, di bellezza, di giustizia) è per un verso qualche cosa che non soggiace alla vicenda temporale, e non è da istituirsi ma solo da rispettarci; non è semplicemente l’ordine di questo mondo, ma di qualsiasi possibile mondo: ordine ideale eterno, del quale dirà Eraclito (cf. 30) che non è stato fatto dagli uomini, ma neppure dagli Dei (poichè Dio è questo ordine stesso, non l’ha prodotto arbitrariamente, e non potrebbe modificarlo!). Ma per altro verso esso κόσμος riluce anche, si fa presente, si rende più o meno partecipabile, nella stessa vicenda temporale, che è perciò anch’essa, a suo modo, un κόσμος, un “mondo”. Particolarmente poi riluce, facendosi presente, attraverso lo sforzo ascetico che tende ad attuare l’equilibrio armonico nella molteplicità degli uomini, delle umane attività, dei casi della vita umana”. (C. MAZZANTINI, *La filosofia...*, 28. Exinde intelligi potest illud Anassagorae: “(Natus sum) εἰς θεωρίαν ... ἡλίου καὶ σελήνης καὶ οὐρανοῦ (Diogen. Laërt. 2,10; DIELS, Vors, I, 294,18), et Stoicorum: “Ipse autem homo ortus est ad mundum contemplandum et imitandum” (Cicero, *De Nat. Deorum* II,14). Cfr. A. E. HAAS, *Aesthetisches und theologisches Gesichtspunkt, in der antiken Physik*, in: *Arch. f. Geschichte der Philosophie* 22 (1909) 80-113. A. S. FESTUGIÈRE, *La Grèce et la nature*, Paris, 1946.

Ut talis conceptio vitae explicetur non est opus ut recurramus ad alias conceptiones, ne ad hellenicam quidem, licet aliqua idea nostri Auctoris sit affinis cum aliqua idea Graecorum, ut iam vidimus⁵⁷; est etiam conceptio nova pro praecedenti traditione biblica, quae praeparat conceptionem lucidiorem N. Testamenti; haec autem conceptio est consectorium logicum harum propositionum: notionis Dei, unius, personalis, a mundo seiuncti, et eum perficientis, Patris totius creationis, προνοίας, mundum suaviter gubernantis et inicientis in quamlibet creaturam suum finem, quem consequi potest, in hominem, vero, finem supernaturalem, quae notio praebet vitae uniuscuiusque plenam fiduciam, quatenus ens intelligens agnoscit se perduci a Suprema Intelligentia, quae et ad gloriam suam et salutem creaturarum peragit; insuper, notionis vitae futurae perpetuo immortalis felicitis vel infelicitis, quae notio huic vitae terrestri praebet characterem fugacitatis et contingentiae et efficit ut omne quod praeparationi alterius vitae minime serviat removeamus et a timore mortis liberi simus; demum, notionis beatae retributionis, qua aufertur ab homine omnis anxietas et sollicitudo ob praesentes dolores, et quivis pessimismus ob iniustitias terrenas, et qua, e contra, datur homini maxima in aerumnis consolatio ob spem vitae futurae immortaliter beatae.

P. DALMATIUS COLOMBO O.F.M.

⁵⁷ Hoc bene conceditur ab exegetis, etiam ab iis qui admittunt plura elementa Philosophiae hellenicae in libro Sapientiae; scribit enim unus ex istis: "Nonostante tutti questi elementi che l'autore toglie ad imprestito dalla filosofia greca, ei rimane un Giudeo profondamente pio, con un concetto altissimo della religione dei suoi padri, e con la persuasione incrollabile ch'essa è la religione infinitamente superiore a tutte le altre, la sola religione vera. Egli mira, non ad inculcare nei suoi compatriotti le idee filosofiche della Grecia, ma a comunicare loro le concezioni che egli ha dell'immenso valore della pietà d'Israel. Il giudaismo gli fornisce i materiali per le sue idee religiose, l'ellenismo gli offre un nuovo modo di metterle in rilievo; ma ei non muta; è pur sempre giudeo "intus et in cute"; e tale si dimostra nel modo tuttaltro che rigorosamente logico con cui conduce l'opera sua. È noto che il pensatore giudaico, quando espone le sue idee non sa nè può mai farlo con metodo ordinato, sistematico. L'Autore della Sapienza, rimane un pensatore profondamente religioso, ma incapace d'espone un pò sistematicamente le proprie concezioni." (G. LUZZI, *La Bibbia*. . vol. 10; Firenze, 1930, 514 s.).